


A PDF fájlok elektronikusan kereshetőek.

A dokumentum használatával elfogadom az
[Europeana felhasználói szabályzatát](#).

80
Hausk. 6
3683



SCHÖNHERR-EYLA

Schönber

HISTORIA ARMENORUM TRANSSILVANIAE

A PRIMORDIIS GENTIS USQUE NOSTRAM

MEMORIAM E FONTIBUS AUTHENTICIS

ET DOCUMENTIS ANTEA INEDITIS

ELABORATA

PER

CHRISTOPHORUM LUKACSI

PAROCHUM ARMENOPOLITANUM.

VIENNAE, 1859.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

80


Hong. M.
3683 b

~~Dr. Schörkert Gyula~~

E2



217027



R
1965

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

JACOBUS BOZÁGI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPO CAESAREENSI

ABBATI GENERALI

CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE

VINDOBONENSIS

S. THEOLOGIAE DOCTORI

CET. CET. CET.

DOMINO HUMILLIME COLENDΟ.

ELABORATION
D'UN DOCUMENT
DE LA CONFÉRENCE
INTERNATIONALE
DE LA PAIX
DU 28 JUIN 1949

PAR
LE GOUVERNEMENT
DU CANADA

PARIS, 1950

Illustrissime ac Reverendissime Domine Archiepiscopo!

Quodsi labores literarii iis potissimum dedicari per Authores solent, quos Fautores esse neverunt literarum, et erga quos peculiari sunt obstricti gratitudinis officio: tum mihi dubitandum non est cuius nomini has studiorum meorum primitias inscribi licere peroptarem.

Tua est haec Armenorum Transsilvanorum historia omnibus his titulis Patrone gratiosissime! Praelatus enim es congregationis quae ex institutione sua intellectualem, moralem et religiosam nationis Armenae multipliciter afflictae et maxima sui parte sub jugo infidelium gementis culturam viribus omnibus promovere nititur.

Hunc in finem collegium cui tam digne praees sedem musarum esse voluisti, in qua bonae spei juvenes ex Armenia lectos natione liberaliter educas atque in scientiis aetati et statui congruis probe institui facis. Alumnis, qui vires in se vocationemque sentiunt ad scientias profundius serutandas, subsidia praebes, nullisque parcis sumtibus, quo laudabiles eorum conatus promoteas; probe gnarus, scientiam et eruditionem

esse non modo conditionem, sine qua multiplicitia vitae religiosae et vocationis sacerdotalis officia rite adimpleri nequeunt, verum etiam ingens ordini Ecclesiastico adferre decus et ornamentum.

Hac via summi quique in Ecclesia inclaruere viri. Hac via religiosorum ordinum familiae nonnullae maximam sunt consecuti nominis celebritatem.

Hanc pariter viam sibi suisque proposuit pre mendam magnus Mechithar vir doctrina non minus ac pietate insignis, qui in instituta a se congregatione, scientiarum quamdam erexit academiam, quae linguam Armenam, generi humano ab aquis Diluvii renascenti coaevam temporum iniuritate nonnihil passam ad primitivam revocavit puritatem et elegantiam.

Patris et Fundatoris sui inherentes vestigiis Mechitharistae e Coenobiis suis Viennensi et Veneta radios diffundunt fidei et literarum in opacas valles regionis Araratensis, in quibus illae primis Ecclesiae Christianaee saeculis magno profecto cum nationis decore et non minori cum religionis emolumento floruerunt.

Quis nescit? Congregationem mechitharistarum constitutis per orientem inter Armenos missionum stationibus et scholis, erutis e ruderibus literaturae Armenac thesauris, translati in cultiores Europae linguas editisque Authorum Armenorum operibus, propriis item eruditis lucubrationibus optime de republica Christiana et literaria esse meritum, orbemque literarium ad tantam linguae Armenae aevum antiquo culturam et literaturae Armenae fertilitatem in stuporem et admirationem rapuisse.

Grata in hodiernum recolo mente paterna consilia, quibus, dum in celeberrima et antiquissima universitate Viennensi Theologiae operam navarem me ad linguae et antiquitatum Armenarum studium hortabatur. Tuus in dignitate qua ornatus es Praedecessor, immortalis memoriae Aristaces Azaria. Qui, quo certius celeriusque in dictis studiis proficerem Instructorem mihi e Patribus assignavit, qui id muneris suavissime et solertissime adimplevit.

Pari benevolentia Tu quoque Illustrissime Archiepiscope, tenues meos conatus pro conservanda lingua

ritu et avitis institutionibus apud Armenos Transsilvaniae, eorumque illustranda historia susceptos foves, protegis, suffuleis, promoves.

Mirum proinde nemini videbitur si ductus affectu reverentiae et gratitudinis erga Tuam congregationem, erga memoriam Tui Antecessoris ac erga Te ipsum librum cuius Argumentum Tibi cumprimis ratum gratumque esse novi Tibi dico, dedico nuncupo.

Accipe itaque praesentem quam sub nominis Tui aegide publici juris facio lucubrationem, ea qua soles benevolentia, et me Tui et congregationis Tuae cultorem devotissimum gratia et favore prosequi non desine.

Armenopoli die 20. Aprilio 1859.

Christophorus Lukacs.

Benevolo Lectori.

Alterum prope labitur saeculum, ex quo Armeni sedes in Transsilvania fixerunt; nec tamen eorum Historiam uberiore calamo hucdum quisquam conseripsit. Quae enim de Armenis apud scriptores rerum Transsilvanicarum memoriae prodita inveniuntur, tenues omnino sunt notitiae atque passim erroneae.

In tanta historiae Armenae penuria, ad eam quis devenire posset cogitationem aut materiam ad scribendum, aut fontes unde scribatur deesse; at vero materiam suppeditant copiosam fata et vicissitudines gentis omni retro antiquitate memorabilis, fontes autem praeter graecos latinosque praebent uberrimos scriptores Armeni, qui a primis aerae christianaec saeculis usque ad nostra tempora serie non interrupta sibi succedunt, nec non monumenta literaria aevi recentioris.

Noli mirari Lector benevole! Si quod nemo ante me aggressus est, ipse aggredior opus, imbecillitas equidem virium mearum nemini melius ac mihi est nota, atque ideo nihil magis ex voto mihi accidere potuisset, quam historiam Armenorum Transsilvaniae e calamo perito profluxam legisse.

At vero quia justus me tenet metus, ne quod a duobus retro saeculis ante me fecit nemo, deinceps quoque faciat nemo, atque erroneae opiniones, quas circa ortus et progressus Armenorum in Transsilvania, circa linguam, ritum et institutiones eorum, apud exterros, quandoque quidem etiam apud cultiores

vigere observavi, invalescant, et si per neminem corrigantur speciem nanciscantur veritatis, silentium interrumpendum et manus operi fuit admovenda. Cognitio linguae Armeniae literariae aditum mihi aperuit ad fontes originarios limpidissimos; praesto mihi fuere selectissima sacrae et profanae antiquitatis nationis Armenae monumenta, in quorum studio omnem ferme exegi aetatem, praesto fuere documenta manuscripta, quae lucem publicam nunquam viderunt, quae tamen ad illustrandam historiam Armenam posteriorum temporum plurimum faciunt. Hoc instructus apparatu literario, existimo me praesenti Iueubratione, utile Ecclesiae, utile nationi meae, utile demum reipublicae literariae praestitisse servitium.

Librum proinde tibi exhibeo benevole Lector! qui ad fidem Authorum probatissimorum et documentorum antea ineditorum enarrat varios casus et vicissitudines, quas Armeni in patria primitiva, quas extra patriam atque in hac quam actu incolunt patria subierunt. Multa in hoc libro invenies Lector memoria digna quae frusta alibi quaesieris. Prima fuit gens Armenia cunctarum gentium asiaticarum, ne dicam totius orbis, quae nomen Christo cum rege et regno dedit; eadem ultima exstitit omnium Christianarum gentium quae infidelium oppressa potentia regem et regnum in illa orbis parte amisit. Multa apud hanc gentem evenerunt aevo antiquo, medio et recentiore a patriis duntaxat scriptoribus relata Europacis passim ignota, quae hic liber succincta brevitate in lucem nunc primum producit.

Tu igitur benevole Lector! benigno hunc librum dignare intuitu, naevosque hinc inde occurrentes elementer excusa vale.

Argumentum operis.

C a p u t I.

Situs, magnitudo, montes, fluvii et lacus Armeniae, natura et fertilitas soli. Armenorum origo. Armenii Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarumque socii et foederati. Dynastia Regum Haicanorum, Dynastia Arsacidarum, Dynastia Bagratidarum. Regni Armeniae majoris excidium, urbis Anii expugnatio. Armenorum dispersio. pag. 1

C a p u t II.

Regnum Armeniae minoris, Dynastia Rupenitarum. Armeni Romanorum Pontificum hortatu cruce signatos Europaeos in oriente opera et consilio juvant, ab iis vicissim adjuti. Regno Latinorum Hierosolymitano everso, Armeni postquam potentiam infidelium ad Saeculi spatium incredibili fortitudine soli in oriente sustinuissent, ad extremum numero hostium succumbunt. Rex Leo VI. captivus Cairum abducitur, mox interventu Regis Castilie libertati redditus Anno 1393 Parisiis moritur. Armeni emigrant in Italiam . . . pag. 5

C a p u t III.

Armeni Dacici et Pannonici aevi antiquioris. Armeni sub adventum Hungarorum Hungaris et Chazaris juncti et sub primis eorum Ducibus ac Regibus Hungariam et Transsilvaniam ingreduntur. Vestigia harum coloniarum pag. 9

C a p u t IV.

Armeni Transsilvani aevi recentioris origine sunt Anienses. Anio eversa sedes primum ad Achsarum Tatariae deligunt, inde viam armis sibi in Chrimaeam aperiunt, qua a Turcis Tartarisque anno 1475 occupata migrant in Poloniam et Lithuania ac subseque trans-eunt in Moldaviam et Valachiam pag. 12

C a p u t V.

Armeni annuente Principe Michaele I. Apafi sedes in Transsilvaniam transponunt, a quo et filio Michaele II. Apafi libertatibus donantur. Principes ex Augusta Domo Austriaca, Armenis ob contestatam erga se in arduis temporum adjunctis fidelitatem locum condenda Armenopoleos ad Arcem Szamosujvar concedunt. Communitatibus Szamosujvariensi et Elisabethopolitanae immunitates et Privilegia conferunt. Armenopolitani impetrant Dominium Szamosujvar. Exemplum Pririlegii Armenopoleos pag. 16

C a p u t VI.

Armenia Ethnica. Armenia Christiana. S. Thaddaeus et Bartholomaeus Apostoli in Armenia praedicant. Totius Armeniae conversio refertur ad initium Saeculi IV. et tribuitur S. Gregorio Illuminatori. Prodigiosa Regis Tiridatis conversio, ejus in Deum ac Religionem pietas et zelus. Apostolici S. Gregorii in conversione Armeniae labores. Caesar Maximinus Armenos propter susceptam fidem persequitur. Constantinus Magnus foedus cum Armenis renovat. S. Sylvester Papa S. Gregorium et Ecclesiam Armenianam praerogativis ornat. Patriarchae e stirpe S. Gregorii, viri Spiritu Dei et fide pleni gentis suae Patres et benefactores Armenianam bonis artibus et institutis, sacris profanisque litteris illustrant pag. 30

C a p u t VII.

Reges Persarum Sapores IIIdus et Isdegerdes IIIdus Armenos Fidei causa persequuntur. Mihr-Nierseh primarius Isdegerdis Minister Armenos litteris ad Fidem Christianam abjurandam et Zoroastri amplexendam superstitionem provocat. Armeni ad has litteras synodaliter respondent, religionem Zoroastri scite refutant et veritatem Doctrinae Christianae erudite defendunt. Cum autem Rex hac apologia irritatus Armenos vi armorum ad propositum suum flectere molli-

retur Armeni sumtis duce Vartano pro Fidei defensione armis Persos regno exturbant et se in libertatem vindicant pag. 37

C a p u t VIII.

Armeni de actis Concilii Chalcedonensis, cui, bello Persico occupati interesse non potuerunt, per Monophysitas sinistre informati, illud acceptare haesitant, et in Synodo Valarsapatana tribus primis oecumenicis conciliis adhaerent. Conciliabulum Therinense et Manascertense Concilium Chalcedonense rejicit, ex adverso concilium Carnense et Siragavense illud recipit. pag. 46

C a p u t IX.

Concordia inter Ecclesiam Graecam et Armenam in Synodo Tharsensi stabilita, brevi dissolvitur. Armeni relictis Graecis adhaerent sedi Apostolicae Romanae. Summi Pontifices Patriarchas Armeniae variis honoribus et praerogativis ornant atque antiquos Ecclesiae Armenae ritus et consuetudines confirmant. Armeni in Concilio Sisensi et Adanensi unionem cum Ecclesia Romana renovant. pag. 52

C a p u t X.

Beatus Bartholomaeus Bononiensis in Armenia majore congregationem sic dictam unitorum ordinis Fratrum Praedicatorum fundat, celeri incremento per Armeniam propagatam. Fratres nonnulli dictae congregationis abrogato Armeno ritu, latinum in omnibus si solam excipias linguam, ritum apud Armenos introducere conantur. Turbae exinde non leves in Ecclesia Armena ortae eloquio Innocentii VI. Pontificis et opera Jacobi Patriarchae componuntur. Armeni ad concilium Florentinum vocati per suos Legatos comparent. Decreto unionis Ecclesiae Graecae cum Latina subscribunt. pag. 57

C a p u t XI.

Armeni in Chrimaea in Fide persistunt, at qui capta a Turcis regione sedes in Polonię et Moldavię transtulerunt in Schisma relabuntur. Ex his primum Armeni Poloniae, serius Armeni Moldaviae in Transsilvania, quo se interea continuas persecutioes Moldavorum pertaesi cum suo Episcopo Menna receperant, Sacra catholica profitentur. Labores apostolici Oxendii Verioresky in conversione Armenorum Transsilvaniae pag. 64

C a p u t XII.

Oxendius denominatur in Vicarium Apostolicum Armenorum in Transsilvania. Armeni ejus opera conversi schisma et errores ejurant. Oxendii mors et Testamentum. pag. 70

C a p u t XIII.

Georgius Mártonfi primus novae fundationis Dioecesis Albensis Episcopus, curam Armenorum Praesule orbatorum sub inspectione sacrae congregationis de Propaganda Fide provisorie in se assumit. Errores et abusus nonnulli inter Armenos rursus repullulant. Sedes Apostolica in illos inquiret. Armeni objectos sibi errores et abusus partim negant partim tollunt. pag. 74

C a p u t XIV.

Sedes Apostolica Visitatores in Transsilvaniam mittit, Mennam de Barun Sacerdotem Orientalem Transsilvanos nonnihil turbantem ad officium revocat atque omnem adhibet curam ne ritus Armenus per facilem in jejuniis dispensationem ab originaria sua puritate desciat. pag. 78

C a p u t XV.

Michael Theodorovics Armenos in fide vacillantes confirmat. Idem qua Vicarius et generalis Armenorum Archidiaconus Ecclesias Armenas in Transsilvania visitat. Aedes Sacrae sub initium Saeculi XVIII. per Armenos erectae. Numerus Parochiarum Armenarum in Transsilvania hoc aeo. Coelibatus Cleri Armenorum, Ecclesiarum ritus Armeni in hac patria unitatis centrum, et vinculum unionis inter se et cum Sancta sede Romana non obstante contraria ultimi Visitatoris Apostolici Stephani Stephanovics ordinatione ejusdem item ac cleri precibus sublatus et nexus omnis inter Ecclesias dicti ritus solitus pag. 83

C a p u t XVI.

Punctum Caesareo Regii Privilegii Armenorum circa Sacra. Dotatio per gloriosae memoriae Imperatorem Carolum VI. pro ritus Armeni Episcopo facta. Conatus Armenorum pro resuscitatione Episcopatus Armenici in Transsilvania refragante Cathedra Albensi effectu frustrati. pag. 90

C a p u t X V I I .

Sacerdotes Armeni Romae sumtibus Collegii urbani educati a S. Propagandae Fidei congregacione ad Missiones deputantur. An decretum S. Congregationis de non mutando ritu pro Armenis Poloniae latum ad Transsilvanos extendendum? pag. 103

C a p u t X V I I I .

Armenis Transsilvanis admittitur usus Kalendarii Gregoriani. Celebratio trium Missarum in Festo Nativitatis Domini et usus missalis latini. pag. 109

C a p u t X I X .

Ritus Armenorum Transsilvanorum non obstantibus mutationibus capite superiore recensitis, est orientalis Armenus. Incommoda status Ecclesiastici Armenici in Transsilvania. pag. 116

C a p u t X X .

Imperator Josephus II^dus de conversione Armenorum Schismaticorum in neoacquisita Bucorina sollicitus inquirit in rationem et adjuncta conversionis Armenorum Transsilvanorum. Controversia circa Jurisdictionem in Armenos Transsilvaniae inter Archiepiscopum Leopoliensem a. r. et Episcopum Transsilvaniae coram eodem Gloriose memoriae Imperatore agitata manet indecisa. pag. 129

C a p u t X X I .

Conatus pro stabilienda cultus Divini in Ecclesiis Armenorum Transsilvaniae uniformitate pag. 140

C a p u t X X I I .

Armenopolis erigitur et dotatur Hospitale pro Pauperibus et Infirmis. Fundatur orphanotrophium et stipendia pro studiosis et clericis pag. 145

CAPUT I.

Situs, magnitudo, montes, fluvii et lacus Armeniae, natura et fertilitas soli. Armenorum origo. Armenii Assyriorum, Babiloniorum, Medorum, Persarumque socii et confoederati. Dynastia Regum Haicanorum. Dynastia Arsacidarum. Dynastia Bagratidarum. Regni armeniae majoris eversio, urbis Anii expugnatio. Armenorum dispersio.

1. Armenia est regio majoris Asiae, minori contermina. Dividitur in maiorem et minorem Armeniam, utriusque magnitudo ad decies mille millaria quadrata aestimatur.

Alpestris est, si quae alia, montibus immensa altitudinis circumvallata; ut aditus ad eam, non nisi per juga montium sex mille pedes supra libellam maris elevatorum pateat.

Inter montes eminent: juga Niphatis Pariadri, Tauri, et Cordiaeorum, quibus tum celsitudine tum nominis celebritate palmam praeripit Ararat sedecim mille pedes altus, qui et areae Noac, aquis Diluvii jactatae sedem¹⁾ et regioni nomen in sacris paginis dedit.²⁾

Ob situs altitudinem nullos Armenia recipit, emitit vero quamplurimos in finitimas regiones fluvios, quorum praecipui sunt: Euphrates, Tigris, Phasis et Araxes, Paradisi olim, sententia interpretum, flumina.³⁾

Lacus in ea memoria digni sunt tres: Van, Sevan et Kabodan sive Ormi. Lacus Van sexaginta in ambitu complectitur millaria, et quatuor numerat insulas justae magnitudinis.

Mirae fertilitatis terra, vini frumentique ferax, in partibus quibusdam duplice intra annum foenore oeconomi reconspensat solertia, latera et terga montium qua se in planities evolvunt, pinguis eaque perpetua praebent, pro diverso anni tempore, alio atque alio migrantium Nomadum gregibus armentisque pascua.

¹⁾ Genes. 8. v. 4.

²⁾ Isaiae 37. v. 38. Jeremiae 51. v. 27.

³⁾ Calmet Commentarii in Genes. v. 2.

Inter domestica animalia, apud Saeros aequae ac profanos scriptores cum primis celebrantur equi Armeniae.¹⁾

Pars Armeniae majoris ad occidentem et minor tota hodie Turcis, borealis Russis, qua vero solem Orientem et meridiem respicit, Persis paret.

Armenii genus ducunt a Haico Thogarmae filio, magni Japheti pronepote, a quo proprio idiomate Haiei vel Haicani a Thogarma autem apud Saeros et rerum patriarcharum scriptores domus Thogorma et Thorgomasiani, appellantur „ab exteris vocantur Armeni“ ab Aram uno descendientium Haiei, qui bello a finitimis populis Iacessitus, primus victoria extra fines Armeniae arma protulit.

Non mihi vacat longam ducum regumque contexere seriem, qui ex genere Haici, Armeniis usque tempora Alexandri Macedonis praefuerere. Sufficiat hoc loco notasse: Armenios maximis orbis antiqui atque potentissimis Babyloniorum, Assyriorum, Medorum Persarumque monarchiis interjectos, belli pacisque artibus ex aequo semper cum iis vixisse, in eorum foedere ac societate, partem magnam extitisse eventuum memorabilium, qui sortem dictorum, de summa rerum in Asia, inter se contendentium imperiorum deciderunt. Primum itaque potentiae gradum Armenii nunquam, quod sciamus, sunt consequuti, ast nec secundo esse unquam; verum indigenis ex Haici Stirpe prognatis toto aevo antiquissimo paruere principibus. Nam Medi (inquit Strabo L. XVI.) Armenii ac Babylonii, praeter omnes alias gentes quae hic sunt, ita erant ab initio constituti, ut se invicem adorarentur, ut cuique opportunum videbatur et rursum conciliarentur, quod usque ad Parthorum imperium permansit. Medis itaque atque Babylonii Parthi imperant, Armeniis autem nunquam. Invasiones tamen saepe factae sunt, omnino autem capti nunquam, imo Tigranes, ut in rebus armeniacis dictum est fortiter restitit.“

Principes e Dynastia Haicanorum dominatum Armeniae serie non interrupta tenuerunt per continuos 1778 annos, hoc est ab anno Mundi 1893 usque 3671, qui est 328. annus ante Christum. His sequuti sunt Seleucidae sive Syro-Macedones per an-

¹⁾ Ezechiel c. 27. v. 14. Strabo L. XI. Armenia non minus pascendis equis apta est quam Media unde Nysaci equi, quicis Persarum reges utuntur hinc sunt.

²⁾ Ezechiel c. 27. v. 14.

nos 180, usque annum ante Christum 150, quo anno Armenii imperium Seleucidarum aspernati, Valarsacem, Arsacis regis Parthorum fratrem, Arsacidarum in Armenia Dynastiae conditorem in regnum acciverunt. Floruit haec Dynastia usque annum a Christo nato 428, deditque inclytos Armenii reges, nam et historicam meruerunt, imperantibus illis celebritatem, et lucem Evangelii eorum potissimum auspiciis et opera conspicerunt.

Regno Armeniae majoris, per Persas posteriores 428 post Christum everso et Dynastia Arsacidarum extincta, Armeni jugum primum Persarum Graecorumque tum Saracenorum subiere. In haec tempora incident bella Armenorum religionis causa cum Persis gesta, qui religionem Zoroastri, cultum elementorum in Armeniam inducere voluerunt.

Instauratum anno p. Chr. 859 in familia Pacraditarum Armeniae Regnum, postquam 221 annis inter varias vicissitudines stetisset. Constantini Monomachi perfidia perdidit, qui accepit ad se specie amicitiae Cacichium Armeniae regem in vincula conjecit, regiamque Armeniae Urbem Anium 1046. occupavit.¹⁾

Quaesitum malis artibus Armeniae imperium, ignavia sua brevi amiserunt Graeci. Turcis Seldjuchidis Persiae ea tempestate dominis duce Alphaslano Armeniam invadentibus, et Graecis metu eorum fuga dilapsis, anno 1064 Anium capientibus.

Anium fortunamque Anii sequutum Armeniae regnum anno 1072 Turcis ademerunt Arabes. Arabibus 1086 Persae. His 1124 Georgiani. Georgianis 1126 Persae. Persis 1131 denuo Georgiani. His quartum Persae, anno 1174 cessit rursum Georgianis, demum anno 1239 Tataris, qui dicto anno innumerabili pene multitudine Armeniam inundantes, dire in eam grassati, ingentem regioni vastitatem intulerunt. Urbem Ani expugnatam evertebant, incolas, nullo sexus et aetatis habito discrimine occidione deleverunt.

Fuit Anium magnitudine, moenium amplitudine, Civium opulentia et numero, nulli Urbium, mediae illius Asiae regionis secunda. Ani, dum a Graecis caperetur ad fidem Historicorum, numerabat domus intra moenia centies mille. Templa mille et unum, incolarum decies centena millies, eratque emporium medio illo aevo totius Asiae celeberrimum.

¹⁾ Indictione 13. bellum atrox de Anio coepit, v. Georgii Cedreni et Zonarae Annales.

De Anio Vincentius Bellovacensis, qui tempore expugnationis ejusdem per Tataros in Oriente versabatur scribit: „In Armenia est civitas nobilis, quae Ani vocatur, ubi sunt mille Ecclesiae, ac centum mille familiae, quam Tatari cuperunt in 12 diebus.¹⁾“

Talis tantaque cum fuerit Anium, mirum sane non est, illius dominatum Turcas, Persas, Arabes, Georgianos, Graecos et Tataros tanto ardore concupivisse. Interea vero dum hi praedae cupidine allecti, super possessione Anii inter se decertant, et alter alterius eam eripere pergunta manibus, Urbs tot dominos opibus duntaxat inhiantes, at defendendo retinendove impares, experta dire vastatur, fortunis exuitur, ruinis deformatur, funeribus civium foedatur et in vastam reducitur solitudinem, accessit his tantis malis anno 1319 ingens terrae motus in terra Araratensi, quo Anium prorsus concidit. Magnifica aedificiorum rude-
ra, moenia passim prostantia, columnae, Peristyla, structa e se-
cto marmore Templa, quorum ad quadraginta incirca integra, fe-
rarum hodie voluerumque latebrae, capita alte inter ruinas et so-
litudinem extollunt, totum denique tantae quandam Urbis cada-
ver, late per immensa terrarum spatia extensem, antiquum urbis
hujus splendorem atque magnificentiam in hodiernum eloquuntur.

Potiti Armenia Tatari, non amplius inde recesserunt. Ve-
rum sedibus ibidem fixis, immani prorsus crudelitate in indige-
nas desaevierunt, qui ne internecone per barbaros delerentur,
fuga saluti consulere sunt coacti. Itaque a clade suorum, Patriae-
que excidio superstites Armeni, alii quidem in Persidem, in Sy-
riam alii, alii in Ciliciam et Asiam minorem emigrant. Alii se re-
cipiunt in Georgiam, Colchidem locaque Pontus Euxini maritima.
Alii refugium in jugis montium Caucasi atque inaccessis rupibus
et speluncis quaerunt. Astrachanum, Achsarum, Kasan et Tau-
ricam Chersonesum petunt alii, alii trajecto Hellesponto tran-
seunt in Thraciam, Moesiam, Moldaviam et Valachiam, sedes alii
in rubra Russia, Polonia et Lithuania figunt.

Fata Anii fusori prosequuti sumus calamo, quia ut suo loco
dicemus, Armeni Transsilvani origine sunt Anienses, eorum in
specie posteri, qui Anio excisa, sedes ad boreale Caucasi latus,
apud Astrachanum, Achsarum et Kasan posuerunt.

¹⁾ Bellov. Spec. Hist. Libr. 30. c. 95 et 97.

CAPUT II.

Regnum Armeniae minoris. Dynastia Rupenitarum, Armeni Romanorum Pontificium hortatu, cruce signatos Europeos in Oriente opera et consilio juvant, ab iis vicissim adjuti. Regno Latinorum Hierosolymitano everso, Armeni, postquam potentiam infidelium ad Saeculi spatium incredibili fortitudine, soli in Oriente sustinuerunt, ad extremum numero hostium succumbunt. Rex Leo VI captivus Cairum abducitur, mox interventu regis Castiliae libertati redditus anno 1393 Parisiis moritur. Armeni emigrant in Italiam.

Regno majoris Armeniae amisso, aliud Armenii in Cilicia finitimisque Armeniae, Isauriae et Syriae partibus, virtute et sapientia ducis sui Rupini, qui primus inter eos adversus Christiani nominis hostes, Crucis extulit signum condiderunt regnum, Armeniae minoris vocatum.

Principes e stirpe Rupini, arctam cum Latinis cruce signatorum Ducibus, qui varios hoc tempore in Oriente fundaverant Principatus, foverunt armicitiam, conjugiorum quoque multiplici foedere iis juncti.

Sed et Romani Pontifices, Reges et Patriarchas Armeniae assidue hortabantur, ut cruce signatis Latinorum exercitibus in oriente opitularentur, quo vero alacrius id praestarent, Sedisque Apostolicae devoti esse perseverarent atque fideles variis eos paternae benevolentiae significacionibus sunt prosequuti. Innocentius III^{ius} per legatum suum Archiepiscopum Moguntinum, eundemque S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensem, anno 1189. Leoni II^{do} Armeniae Principi, Regiae dignitatis insignia et Coronam misit, capitique imposuit, qua occasione ad Regem praefatum inter alia scribit: „Rogamus serenitatem regiam et exhortamur in Domino ac per Apostolica tibi scripta mandamus; quatenus in timore Domini et Apostolicae sedis devotione persistens ad expugnandam barbariem paganorum et vindicandam injuriam crucifixi, tanto potentius et efficacius studeas imminere, quanto fraudes et versutias hostium vicinus positus melius cognovisti.¹⁾“

Idem Innocentius Papa Leoni Armeniae regi Vexillum beati Petri mittit, cum Litteris in quibus haec legimus: Et tibi congau-

¹⁾ Apud Clementem Galanum Conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana c. XXIII.

demus et Nobis imo etiam universo populo christiano, quod cum tibi Dominus inspiravit affectum, ut Apostolicac sedis instituta devote reciperes et praecpta fideliter observares et contra inimicos crucis propositum illud assumcres, ut in eos vindicare epiplias injuriam Crucifixi et haereditatem ejus de ipsorum manibus liberare. Nos igitur de tuac devotionis sinceritate confisi, ad petitionem dilecti filii Roberti de Margat militis, nuncii tui, in nostrae dilectionis indicium vexillum beati Petri tuae Serenitati dirigimus, quo in hostes crucis duntaxat utaris, et eorum studeas contumaciam cum Dei auxilio, suffragantibus apostolum Principis meritis refraenare. ¹⁾

Clemens IV. Romanus Pontifex anno 1265, dum occidens pro defensione terrae Sanctae arma parat, Haytonem Armeniac regem alloquitur Epistola sequenti: „Quanto te Dominus in populo Christiano amplioris regni solio voluit honorari, tanto eretum altius obligavit ad sui cultum nominis dilatandum et inimicos fidci Christianae peregrinis curae studio deprimendos. Nosti fili carissime, quod cum multa cordis amaritudine nuper accepimus, quam insolenter irruens in Christianos ille proditor, qui Sultanus Aegypti dicitur, Caesaream violenter expugnavit et Azotum, effuso sanguine Christi militum et nonnullis ex eis, quod est multis morte lugubris, captivatis, propter quod inter damna communia terrae Sanetac specialiter Hospitaliorum Sancti Joannis gravius caeteris, ut audivimus, Ordo percussus magnam vel maximum Conventus sui partem amisit et licet pro his specialiter te rogemus, nihilominus et pro omnibus te rogamus, qui in terra praedicta invokeant nomen Christi, in remissionem tibi peccaminum suadentes ut sic ad ipsos te habeas, ut dolere videaris injurias crucifixi, et fraternalis charitatis illorum jungi consortio, quibus in Catholicae professione fidei non discordas.

Audierunt vocem Christi in terris Vicarii Armeni, eoque promptius obsequuti sunt mandatis, quo certius constat, ipsos quoque, id temporis, infensissimis Christiani nominis hostibus, Tataris, Turcis, Saracenisque circumfusos, gestis cum iis bellis exhaustos, viribus attritos atque non semel in discriumen adductos occidentalium circumspexisse et implorasse auxilia.

Hinc est quod Armeni, eum ex innata genti erga Sedem

¹⁾ Ibidem

Apostolicam devotione, tum privatis rationibus inducti; accurrentes in orientem cruce signatos, ut fratres, eosdem secum amicos eosdem hostes habituros, cum gaudio exceperunt, quovis officiorum genere coluerunt, copiis, equis, armis, annonā reliquoque belli apparatu juverunt. Gregorius Papa XIII. Studium Armenorum in cruce signatos in Bulla quae incipit: „Romana Ecclesia“ sequenti celebrat encomio. „Et vero inter alia ejusdem Nationis (Armeniae) de Ecclesia Republicaque Christiana merita, illud praecipuum ac singulari memoria dignum est, quod Principibus exercitibusque Christianis saepius olim ad recuperationem Terrae Sanctae proficiscentibus nulla Natio, nullus Populus promptius alacriusque eis suppetias tulit, quam Armenii, qui viris, equis, armis, commeatu, consilio ac denique omni ope christianos sacro illo in bello fortissime ac fidelissime juverunt. Testatum illud reddit etiam Graecus scriptor Nicetas Choniates, Annalium L. 1. ubi sic habet: Hi (Armeni) enim uni omnium transitum Alemanno rum non hostium incursionem sed amicorum adventum judicabant. Nam commercia inter se se agitant et in plerisque religionis Dogmatibus consentiunt.

Verum multiplices hae, mutui cum Latinis foederis et amicitiae contestationes, exitio paulopost fuere Armeniis, inclinantibus enim Christianorum in oriente rebus, regno Hierosolymorum Latino per Saladinum Aegyti Sultanum anno 1187 everso, Principatusque alio post alium amissis, Europaeis Terra Sancta totoque Oriente anno 1291 exturbatis, tota belli moles Armenis, qui soli in Oriente manserant, fuit sustinenda. Quibus infideles eo gravius incumbebant, quo certius tenebant, loca Latinis erepta tuto sibi possidere, quamdiu Armeniae stetisset regnum non licere: non enim ipsos latebat commercium, quod Armenii cum sede Apostolica Principatusque Europaeis intuitu recuperandae Terrae Sanctae, per Litteras et Legationes fovebant. Itaque sublato Armeniae regno, bellorum quoque causam sublatum iri, nihilque sibi amplius a christianis metuendum esse existimabant. Quippe occidentales aut nunquam in Orientem venturos, aut nunquam certe firmos inibi excisis Armeniis pedes fixuros. Igitur consilio inter se inito, Turcae, Tatari Saracenique Armeniam ex condicto invadunt, et quia barbarica haec rabies in regni gentisque atque adeo in nominis Christiani in oriente conspiraverat exitium, horrende in omnes aetates grassantur et sexus, cuncta

caedibus, incendiis, rapinis replent. Armeni, utut numero inferiores, hostiles tamen fortiter reprimunt invasiones, tantique belli molem per plura decennia varia ut fieri solet, sustinent fortuna, ad extremum non tam virtute superati, quam multitudine obruti, succumbunt. Romani equidem Pontifices nihil intentatum reliquerunt, quo regnum Armeniae ab interitu vindicarent. Christianos cum primis Principes paterno in Armenos affectu et teneritudine plenis hortabantur litteris, ut regno regique Armeniae, de Latinis optime merito succurrerent; neque illi auxilia denegant, sed cum integris exercitibus brevi se adfuturos pollicentur, bello tamen inter se discordes venire cunctantur. Dum igitur illi solis ut ajunt, minis et promissis decertant, infideles fama adventus Christianorum concitati, Armeniae accelerant excidium. Itaque infinita propemodum multitudine irarum ac furoris pleni in regnum irruunt, castella evertunt, loca aperta ferro flammisque delent. Regem Castello inclusum obsident et ad ditionem compellunt atque captum in Aegyptum abdueunt. Hunc habuit finem regnum Armeniae minoris Anno post Christum 1378.

Rex Armeniae calamitosis his temporibus erat Leo VI. e familia Lusignana, quae materno sanguine regiam Armenorum stirpem contingebat. Erat Leo mitis animi Princeps, rebus bello paceque gestis clarus, Sedis Apostolicae cultor singularis, sorte profecto meliore dignus. Post toleratum cum conjugi et filia per integrum septennium careerum squalorem, opera potissimum et intercessione Joannis II.^{di} Castilie Regis libertati redditus, suscepta Hierosolymas et Romam pia peregrinatione primum Deo, tum in Hispaniam profectus suo liberatori Castilie regi, gratias egit. Sede demum Parisiis in concesso sibi regio ad Tournelles palatio fixa, ibidem anno 1393, diem supremum clausit, ad cornu sinistrum Arae majoris Templi Coelestinorum in elevato et regali tumulo reconditus quiescit.

Armeni post tristem Patriae Catastrophen conseensis in portubus Ciliciae navibus, qua quisque potuit evaserunt, pars maxima navigavit in Italiam, ibique in primis Venetiis, Patavii, Liburni in Portu, Anconae, Genuae, Florentiae, Pisis, Luccae, Perusii, Romae, Neapoli et Neritone consedit. Quarum quidem coloniarum aliae, in praedictis locis, in posteris suis, hodie dum suspensu, patriosque ritus et consuetudines observant, aliae vero extinctae sunt.

CAPUT III.

Armeni Dacici et Pannonie aevi antiquioris, Armeni sub adventum Hungarorum Hungaris et Chazaris juncti, et sub primis eorum Ducibus et Regibus Hungariam et Transilvaniam numerosi ingrediuntur. Vestigia harum coloniuarum.

Qui in Transilvania et Hungaria hodie reperiuntur Armeni, non sunt primi neque soli, qui ex dicta gente, in has oras venerunt. *Chronica Hungarorum*¹⁾ perhibent: Armenos sub Geiza et S. Stephano aliisque regibus Hungariam intravisse. „*Praeterea (inquit) intraverunt Hungariam tam tempore Ducis Geizae et Sancti regis Stephani, quam diebus regum aliorum Bohemi, Poloni, Graeci, Hispani, Hismaelitae, Bessi, Armeni etc. qui diutius in regno commorando, quamvis illorum generatio nesciatur, per matrimoniorum diversorum contractus, Hungaris immixti nobilitatem pariter et descensum sunt adepti.* „*Idem legere est apud Simonem de Keza Chronicorum c. 8.*

Georgius Fejer in codice Diplomatico Hungariae ad annum 1243 adducit Documentum privileiale Armenis civibus Strigoniensibus concessum, per Belam IV. innovatum tenoris sequentis: „*Procurator civitatis strigoniensis exhibuit quasdam litteras olim Domini Belae quarti regni Hungariae Regis privilegiales anno incarnationis Dominica 1243 (MCCXLIII.) secundo calendas Aprilis regni autem sui anno VIII. Sub suo majori authentico duplice sigillo exaratas, inter caetera exprimentes; quod cum Armeni Praedecessorum ipsius Domini Regis et suo temporibus, in Strigonium ad hospitandum congregati, privilegium super libertate eorum obtentum Tataris totam villam strigoniensem hostiliter invadentibus et eam funditus destruentibus amisissent, ipse Bela rex sicuti decuisset seriem libertatis ipsorum, per singulos Articulos p[re]e oculis habendo, cum fuisse notorium ipsos ea usos libertate, ipsum privilegium duxisset innovandum.* ²⁾“

In eodem Codice ad annum 1281 legimus: „*Idem Ladislaus (Cumanus) Monachis Augustinianis Strigonii terram Armenorum ad monasterium suum, studiorum Theologicorum gratia*

¹⁾ Vide Thuroczii Chronic. Part. II. c. 22.

²⁾ Fejer. Codicis Diplom. Tom. IV. Vol. 1. p. 307.

extendendum donat.^a — Rex Ladislaus IV. donat Monachis Ordinis Sancti Augustini in Monasterio Sanctae Annae de Strigonio pro aedificatione seu potius extensione monasterii terram Armenorum, Kunchilmio comiti antea promissam, usque ad terram capitulo Strigoniensis et ad alias aquas, ut Studium Theologicum ibi alatur anno Domini 1281. ¹⁾

E praemissa terrae Armenorum per Ladislaum Cumanum in favorem Ordinis S. Augustini facta donatione, concludere quis posset, Armenos, qui sub Bela IV. et Praedecessoribus ejus Strigoniis considerant, circa annum 1281, quo haec donatio contigit, Strigonio emigrasse, terrasque suas possessoribus vacnas reliquisse, nisi praesto esset Documentum e quo innotesceret, posterioribus adhuc saeculis Armenos Strigoni exstisset. Benkő in Milkovia sua ad annum 1447 meminit Thomae natione Armeni collegiatae Ecclesiae S. Georgii Martyris de viridi campo Strigoniensi Praepositi, per Dionysium Cardinalem Archiepiscopum Strigoniensem ad partes olim Diocesos Milkoviensis, Decanatum Cibiniensem et Brassoviensem deputati Visitatoris. ²⁾

Quapropter Donationis supradictae alia causa, ac Armenorum Strigonio discessus, quam tamen ignoramus, assignanda venit.

Jam quod Transilvaniam attinet: aevi antiquiori, longe ante modernorum Armenorum adventum, numerosas gentis armenae colonias, intra fines hujus Provinciae floruisse, vel ipsa conplurium locorum vicorumque nomina, gentilitium nomen Armenorum hodie fideliter praeseferentia abunde testantur, juvat hic nonnulla eorum adnotasse.

In comitate Albac inf. in circulo Morusensi existit vicus nomine Örmény-Székes Valachice Armény.

In Comitatu Küköllő, in circulo superiori: Szász-Örményes Valachice Örmjenis, germ. Irmesch.

In Comitatu Szolnok mediocri, in processu Szilágy-Cschenyi-Örményes.

In Comitatu Kolos, in circulo inferiori: Processus Örményes et pagus Örményes.

¹⁾ Codicis Diplom. T. V. vol. III. p. 77.

²⁾ Benkő Milkovia L. 1. c. IV.

In Comitatu Szolnok interiori, in processu Déesiensi, Ormany. Germanice: Armenen.

In Comitatu Zaránd in processu Bradensi, Örmingye.

In sede siculicali Aranyas, in processu inferiori, vicus Örményes, ibidem rivus Örményes.

Loca recensita gentis Armenae nomen, eodem prorsus, quo gens ab Hungaris, Germanis et Valachis terrae incolis, hodie dum designatur vocabulo, reddentia, dictam denominationem, aliunde quam ab Armenis dictorum locorum olim habitatoribus accipere, qui potuerint? non videmus, nisi tantam et tot nominum in Transilvania cum gentilitio Armenorum nomine consonantiam fortuito Causarum concursui adscribere velimus.

Quodsi a Castro Chazar (Kozárvár) ad Chazaros, a Béseňö ad Byssenos, ab Oroszhegy, Oroszfalu, Reussmark ad Ruthenos, locorum quondam Cultores, recte fit conclusio, ab Örményes, Armeny, Armenen etc. ad Armenos numquid minus recte concludemus?

Sed nec historica desunt monumenta, quae fidem dictis concilient. Andreas Illyés author est Thalmum, celebre olim ad Rubram Turrim emporium ab Armenis Graecisque quaestoribus fuisse habitatum.¹⁾ Apud Josephum Benkő legimus: in comitiis anno 1600 die 25 Octobris ad Léczfalva celebratis articulum conditum, quo Quaestores Graeci et Armeni regno exesse jubentur.²⁾

Armenorum aevi antiquioris, nullum hodie in mox memoratis locis deprehendere est vestigium, hi scilicet, lingua, moribus aliisque institutis, dudum in eas, quarum accolae fuere, gentes abierunt, quin fata eorum quisquam litteris consignasset, ut dici de iis cum Poeta possit

Vixere fortis ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vase sacro.

Minus adhuc in defectu fontium determinari potest, quando, qua ex causa, et qua ex Armeniae Province ii Armeni venerint. Tantum e monumentis historicis liquet: Armenos olim stipendia apud exterias gentes meruisse; in antiquitatibus Armeniacis³⁾ le-

¹⁾ Ortus et progressus variarum in Dacia Gentium.

²⁾ Historiae Transilvaniae L. IV.

³⁾ Indsidsian: Antiquitatum Armeniacarum T. 1. p. 343.

gimus: Theodorum rubrae Russiae Ducem anno 1062 Armenos Naxivanenses ad sibi suppetias ferendum evocasse, relataque opera eorum de hostibus suis victoria, sedes illis in regno suo libertatesque contulisse.

Antiquiora his sunt, magisque ad rem nostram faciunt ea; quae Leontius Armenus Historicus refert: sub initium scilicet Saeculi 8. Chazarorum ad Caucasum Chagonum, Magnum semper numerum Armenorum, quorum bellica fortitudo probe ipsi cognita esset, in exercitu habuisse iisque primas in praeliis deferre partes solitum fuisse.¹⁾ Jam cum aliunde sciamus, septem tribus Chazarorum, Hungaris novas sedes in Europa quaerentibus sese adjunxisse, nihil obstat, quominus Armenos quoque Chazaris et cum his Hungaris junctos, cum iisdem in Pannoniam et Daciam venisse, — suasque in occupatione regni partes habuisse asseramus; id certe haud obscure innuant Annales Hungarorum, idem indicant immunitates Armenis Strigoniensibus ab Antezerosoribus Belae IV. datae, atque ab eodem innovatae; hoc ipsum arguunt conplura in Transilvania loca, quae gentilitium nomen veterum possessorum hodiecum retinent.

CAPUT IV.

Armeni Transilvani aevi recentioris origine sunt Anienses. Anio eversa sedes primum ad Achsarum Tatariae deligunt, inde viam armis sibi in Chrimaeam aperunt, qua a Turcis Tatarisque anno 1475 occupata migrant in Poloniam et Lithuania ac subseque transeunt in Moldaviam et Valachiam.

Qui nostra hac aetate sedes in Dacia tenent Armeni, ortum ut diximus, Anio, Armeniae medio aevo metropoli ducunt, qua anno 1239 eversa, primum apud Achsarum Tatariae majoris oppidum considerunt, infinitas ibidem a Tataris tribus Kipesak, terrae accolis, tribulationes et rapinas experti, adversus quos se suaque perpetuo armis defendore cogebantur. Cum autem potiorem Chersonesi Tauricae partem Genuensem parere imperio, Armenosque qui eo concederant, benigne ab iis exceptos, pacis ibi

¹⁾ Apud Indsidian Antiquitatum Armeniacarum T. 1. pag. 338.

perfrui beneficio intellexissent; ipsi quoque impetrata prius a Genuensibus eo commigrandi facultate, viam sibi per conferta Tatarorum, opimam praedam aegre sibi elabi ferentium, agmina armis patefaciunt, atque anno 1330 in Chrimaeam veniunt, ubi suis associati popularibus, totam qua late patet, quave sui parte Genuensium suberat dominio, Peninsulam viciis et castellis, Templis ac Monasteriis inplet. Urbi Theodosiae alias Caffae novam a se conditam, moenibus, turribusque probe munitam adjiciunt Urbem, commerciis terra marique exercitis locupletant, ita ut Urbs Caffa, id temporis, unum esset e maximis et celeberrimis Europae emporiis.

Quibus aliisque utilibus reipublicae Genuensi praestitis servitiis, tantam sui apud illos excitarunt existimationem et fiduciam ut ii non dubitarent, limitum dominii sui in Chrimaea, adversus Tataros custodiam Armenis concredere.

Verum non diu haec duravit felicitas. Tatari enim et Mongoles postquam Europam Orientalem duce Batu percursassent, sedes ad Boream Chersonesi ipsamque Chrimaeam, Tatariam minorem abhinc appellatam posuerunt, graves profecto Genuensibus hospites, ademtis enim iisdem alio post alium locis munitis, in interiora Peninsulae penetrant, ad extremum Urbem Caffam, quae sola jam Genuensibus supererat, tentant; a qua tamen semel atque iterum repulsi, Turcas in auxilium vocavere, adcurrunt hi cum ingenti tercentarum navium classe, atque Urbem terra marique arctissime obsident et oppugnant. Armeni, qui Urbis Praefecto, Primoribusque Genuensium, ad periculi conspectum dilapsis, soli ferme in defensione Urbis perstiterant, cum Urbem pro moenium amplitudine, adversus tantam hostium vim, fame in ea in dies praevalecente, tueri posse desperarent, pactis conditionibus anno 1475 dediderunt.

Capta Urbe Barbari datae fidei immemores primores Armenorum per insidias tollunt, tum in reliquam multitudinem immani furore desaevientes, cunctos perimunt, idem per reliquam passim Chrimaeam factum. Qui caedem evadere potuerunt, in terras se principum Christianorum, signanter in vicinam Polonię receperunt, unde subsequutibus temporibus multi eorum transierunt in Moldaviam et Valachiam, praexistentium in dictis regionibus coloniarum armenarum numerum aucturi. Loca praecipua quae in Polonia incoluerunt sunt: Leopolis, Caminie-

cum, Stanislavia, Luczga, in Moldavia: Jassy, Szuesava, Roman, Foksán, Botosán etc.

Priusquam ad ulteriora progrederemur operae prictum me hic facturum existimo, si praceipua rationum momenta, quae fundamentum veritatis historiac relatorum constituunt, breviter indicavero. Inprimis igitur pro Aniensi origine Armenorum Transilvanorum faciunt sequentia:

a) Codex membranaceus Vitam Sanctorum complectens, Theodosiae anno 1475 Armenice exaratus, in ejus memoriali a Michaele de Medicis, Mechitarista Veneto, et in Chrimaea Missionario, in suo Itinerario per Poloniam, Chrimacam et circum Pontum Euxinum anno 1818 et 1820 instituto, per extensem relato, scriptor expugnationi Theodosiae per Tataros coaevus, postquam lugubrem gentis suae sortem deplorasset haec addit: „Nos sumus posteri Pahlavensium (gentis Arsacidarum) e magna et regia Urbe Ani, Provinciae Siracensis, Dynastiae Paeraditarum Metropoli, in qua praeter innumera splendida Palatia, habuimus Templa Mille et Unum, dein enarrat ea, quae de eversione Anii, de Aniensium in terram Kipesak et Chersonesum migratione usque acceptam a Turcis et Tataris ad Theodosiam cladem, superius ex hoc potissimum fonte hausta retulimus.”¹⁾

b) Armenopoli non una existit Armena familia, quae ab Anio, primitivae originis loco, hodie dum Aniensis (Anieci. — Aniegdschi) cognominatur.

c) Armeni qui inde a Trapezuntio, per Pontum et Chrimaeam, per Russiam meridionalem et Poloniam, per Volhiniam, Lithuania et Podoliam, qui per Bessarabiam, Bucovinam, Moldaviam et Valachiam dispersi habitant, eandem, paucis exceptis, cum Transilvanis loquuntur linguae Armenae dialectum, luculentio argumento, ejusdem olim in Armenia Urbis vel Provinciae incolas exstisset.

Diuturnam porro Armenorum Transilvanorum in majore et minore Tataria, in rubra Russia et Polonia in Moldavia et Valachia commemorationem arguunt:

1) Innumera vocabula Tatarica, Polonica et Valachica, quibus scatet Armenorum nostrorum idioma, nonnullae de-

¹⁾ Michael a Medicis. Iter in Poloniam, Chrimaeam et loca Ponto Euxino circum sita. Venetiis anno 1830. pag. 334—338.

mum voces Italicae conservant memoriam contubernii cum Genuensibus.

2. Conplurium familiarum Armenarum in Transilvania nomina, nominibus familiarum apud Tataros Chrimeae hodiecum usitatis identica: uti Merza (Mircza) Sahin, Sirin, Mughal, Aslan, Csaus, Amira etc. Tataricae, Nomina vero familiarum a locis quae in Polonia, Podolia et Moldavia incoluerunt mutuata: ut Kamenszkiorum, Camencziorum a Camenieko Podoliae; Baltaiorum a Balta Poloniae; Boesantziorum et Foksantziorum a Botosán et Foksán Moldaviae, indubia sunt diurnae Armenorum Dacicorum in dictis Provinceis commorationis documenta.

3. Armenopoli in Bibliotheca Parochiali ostenduntur libri, armenicis characteribus sed Tatarico idiomate scripti, continent preces quotidianas; manifesto Argumento linguam Tataricam Armenis nostris fuisse olim admodum familiarem.

4. In eadem Bibliotheca in Memoriali Codicis Lectionum et Evangeliorum narratur: dictum Codicem in Chrimaea, a Tataro quodam, in ejus manus cum aliis spoliis venerat, gravi aere fuisse redemptum.

Corrigendus igitur est hic error illorum, qui Armenos Transilvanos in Moldaviam et Valachiam immediate ex Armenia venisse contendunt, et qui adventum Armenorum in has oras cum eversione Urbis Ani et regni Armeniae conjungunt, et utrumque ad alterum Saeculi XVII. dimidium ponunt, diversa de Oscin et Hagag Leonis III^{thi} quem ultimum Armeniae regem dicunt, filiis absona et a veritate prorsus aliena fabulantes, quae prorsus nullum in Armena Historia habent fundamentum.¹⁾

¹⁾ Benkö. Hist. Transylv. L. IV. c. VI. §. 158. item Ortus et Progressus variarum in Dacia Gentium ac Religionum p. 62. Nova Dacia p. 25 etc.

CAPUT V.

Armeni annuente Principe Michael I. Apafi sedes in Transilvaniam transfrunt; a quo et filio Michael II. Apafi libertatibus donantur. Princes ex Augusta Domo Austriaca, Armenis ob contestatum erga se, in arduis temporum adjunetis fidelitatem locum condendae Armenopoleos ad arcem Szamosujvás concedunt. Communitatibus Szamosujvariensi et Elisabethopolitanae immunitates et Privilegia conferunt. Exemplum Privilegii Armenopoleos.

Author libelli de ortu et progressu variarum in Dacia Gentium et Religionum,¹⁾ Josephus item Benkő in sua Historia Transsilvaniae, et ad horum exemplum omnes passim rerum Dacicarum Scriptores²⁾ transitum Armenorum ex Moldavia in Transilvaniam hoc modo referunt: Annus a Virginis partu 1669 agebatur, quo seditione adversus Ducam Moldaviae Principem exorta ad oppugnandam inunitissimam Podoliae arcem Camenecium Turcae proficisebantur. Perculsi eorum metu Armeni in Alpes vicinas profugunt, ubi in tertiam hyemem delitescentes, tandem mutato 1672 consilio et deserta Moldavia in finitima Transilvania sedes quacsivere. Gubernabat id temporis Transilvaniam Michael I. Apafi, qui domicilium extorribus et una mercatura libetatem perquam facile concessit. Multi proinde hospitum Armenorum S. Nicolaum sedis Gyergyo oppidum, alii pagum Szépviz sedis Csik, alii Bisztricum, Görgény Fel falu, Petete, Ebessfalva et Albam Julianam aliaque loca delegerunt.

Michael II.^{das} Apafi quos Pater ejus mercatura potissimum promovendae causa in regnum receperat hospites, variis ornatibus libertatibus, edito quippe anno 1696 Diplomate statuit: ut „Armeni proprio ubique a se electo parerent Judici, cavitque ne Armeni sive ab ipso Principe sive ab ejusdem Officialibus quacunque demum ex causa vel praetextu servituti subjicerentur, sed plena iisdem esset per totum regnum mercimoniorum libertas.“

Tametsi vero per recensita superius loca dispersi habarent Armeni, nequaquam tamen ideo se juneti ab invicem segregatique vixerunt; sed areto inter se nexus colligati communatem, quae Societatis sive companiae Armenae nomine veniebat constituebant, cui praeerat supremus Armenorum in Transilvania

¹⁾ Oris et progressus etc. De Armenis.

²⁾ Benkő historiae Trans. L. IV. c. VI. §. 158.

Judex et civilis unitatis centrum Theodorus Daniel consiliarius Regius, de quo haec apud memoratum Authorem libelli de ortu et progressu variarum in Dacia gentium legimus. „Quos inter non postremo censendus loco est, magnum suae gentis decus Theodorus Daniel, qui pluribus annis supremum in Transilvania Armenorum judicem egerat, quique consilium Armenis e Moldavia profugis in Daciam veniendi suggesserat, et primus deinde eorum genti nobilitatem ac indigenae nomen intulit.“¹⁾

Tributum quoque illis in communi imponebatur ab ipsis dein inter se repartiendum et fisco inferendum, quod initio exiguum, mox auctum in tantum ut oneri esset. Quare Armeni anno 1693 ad comitem Rabutin caesareum per Transilvaniam armorum Praefectum recurrent Libello supplici tenoris sequentis.

Excellentissime Domine comes et generalis, nobis Domine Patrone gratiosissime!

Postquam ex arcano Deo consilio per potentiam Barbarorum, patria pulsi, et diversas ad hujus mundi plagas dilapsi fuisserent infeliciissimi hominum Armeni, nos etiam communis naufragii socii, Regnum Transilvaniae intravimus, et quo quisque nostrum se recipere potuit variis in locis consedimus, ita tamen, ut domos patriotarum annuali mercede pro hospitio conducentes, neque ullam externam oeconomiam exerceentes, unius solummodo quaesturae, tot casibus et infortuniis expositae subsidio, nosmet et familiam sustentare cogamur. Et quidem anteactis temporibus erat nobis aliquod respirium, annuatim enim in contributionem Regni centum Thaleros a nobis exigebant, postmodum creverunt successive onera (e. g. anno 1687. flor. hong. 400) in tantum ut in partitione (1693) 80,000 florenorum, mille et trecenti floreni ad nos repartiti sint. . . . Excellentiae Vestrae servi humillimi universi negotiatores Armeni, diversis in locis per Regnum Transilvaniae habitantes²⁾ Fervente sub finem saeculi 17-mi et initium 18-avi bello Turcico, et exortis turbis Rakoczianis, Oxenius Armenorum Episcopus caeterique per Transilvanię Armeni, amoris in novam Patriam, adhaesionis fidelitatisque erga augustam Domum Austriacam luculenta dederunt specimina.

¹⁾ Ortus et Progressus variarum Gentium pag. 72.

²⁾ Benkő Hist. Transs. L. IV. c. VI.

Anno 1694 Tatari exercitus Turcici praecursores, transensis ex improviso Alpibus, Szépvizio sedis Csik superioris oppido 148 armenos in captivitatem abstraxerunt.¹⁾

Anno 1697. Armeni, Bistricium nobilem Saxonum urbem incolentes, armis se urbemque fortiter contra Turcas defensores, ab his, capta urbe, partim caesi partim capti sunt. Hos inter erat Episcopus Armenorum Oxendius Verzereszki, qui integro triennio captivus per Turcas detentus, tandem in sequentiam pacis Carlovicensis libertati restituitur. Verum vix in Patriam reversus, novum subit priori haud levius vitae periculum, atque una novum praebet inconcessae et invariabilis erga Augustam Domum Austriacam suae fidelitatis argumentum. Quippe successerat Rákoczio anno 1703 Siculos sedis Csik ad suas partes pellicere, igitur ad rebellionem eorum, priusquam erumperet, componendam per Caes. Regium armorum in Transilvania Praefectum comitem de Rabutin cum Michaele Mikes mittitur Oxendius Episcopus, quo dum proficiseretur a circumuersantibus sedis Háromszék Rákoczianis ad Herman sedis Coronensis oppidum unacum socio legationis comprehenditur atque ad Franciscum Rákoczi tum in partibus Hungariae agentem abducitur. Michaele Mikes dexteram Rákoczio dante, ipse quoque ut idem praestaret nequicquam per Rákoczium pertentatus, nec minis nec carcerum squalore, captivitatisque dicturnae aerumnis potuit permoveri ut datam Caesari fidem frangeret.²⁾

Anno 1704 Elisabethopolis, quod partibus Caesaris adhaeret a Rakoczianis est expilata et foede devastata, adeo ut pars Armenorum hujus coloniae in Moldaviam se recipere cogeretur, non prius quam sedatis turbis redditura.

Fides Armenorum in Augustissimam Domum Austriacam in adversis probata, favorem eis Principis atque benevolentiam conciliavit. Plures eorum, quorum virtus apud Bistricium eni tuerat nobilitate donati. — Laudavit in specie Oxendii virtutem proborum aestimator aequissimus Imperator Leopoldus, ac in Praesulem Deo, Caesari, Religioni fidelem augostos contestatus favores jus extruendae Armenopoleos ad arcem Szamosujvár, petenti concessit anno a Christo nato 1700. Probavit quoque

¹⁾ Michael de Medivj, Itineris per Poloniam etc. p. 201.

²⁾ Cserei Mihály Historiaja 1661—1717. p. 326—327. cf. Ortus et Progressus; de Armenis.

digna tanto Caesari conjux Eleonora et Episcopalibus ornatum indumentis Vienna dimisit. Exstant ea hodie Armenopoli et luculentum constituant Augustissimorum Imperantium in Oxendium gentemque armenam benevolentiae monumentum.

Oxendius in Transilvaniā redux, locum aedificandae urbi ad Szamosujvarinum de legit; cuius ipse fundamenta jacturus domum erexit, quae deinde in aedem consecrata diu pio fidelium coetui, sacra catholica obeunti serviit. Alii subinde aliunde Biestrīcio praesertim, pristina relictā statione, eo commigraverunt, coepitamque urbem aedificiis ornarunt, populo auxerunt, fortunis completarunt, consummatam paucis post annis vidi Oxendius, quae demum ut liberis Regiisque Dacie urbibus accenseretur favore promissoque magni Caesaris Leopoldi fretus Viennam concessit, ubi dum popularibus suis, quos ante suavissimo Christi jugo subjecerat, libertatem procurat, conatui suo non sine veneni porrecti suspicione immoritur 1715. Haec author libelli de Ortu et Progressu etc. Oxendio coaevis. Quod morte praeventus Praesul Oxendius perfidere non potuit, perfecerunt paulopost deputati ad aulam Caroli VI. ejusque successores, ab utraque Armenia communitate Armenopolitana scilicet et Elisabethopolitana oratores, obtento pro sua quisque civitate primum oppidi mox Liberae Regiaeque civitatis Privilegio, quo a statibus et ordinibus Transsilvaniae acceptato, atque in publicis Regni comitiis solemniter publicato, Armeni reliquis patriae veris indigenisque civibus aequiparati Hungarische accensiti, suos inde ab anno 1841 in Regni comitiis cooperunt habere repraesentantes.

Anno 1738 natio armena Szamosujvariensis agente Michaele Theodorovics archidiacono et Parocho armenopolitano, a gloriosae recordationis Imperatore Carolo VI. impetravit Dominium Fiscale Szamosujvariense. Conventio super emtione memorati Domini inter Fiscum Regium Principatus Transsilvaniae ab una et nationem armenicam Szamosujvarini alias Armenopoli residentem ab altera partibus die 28. Martii anno 1736 Cibinii celebrata et per utriusque partis repraesentantes subscripta, vigore cuius praefatum Dominium nationi armenae Szamosujvariensi erga solutionem centum mille fl. Rhenensium ad nonaginta annos inscribitur et collationales divi Caroli sexti ea super re die 30. Januarii anno 1738 editae, monumentum constituant quodvis aere perennius, saepefatum Dominium ab Armenis civibus civitatis Ar-

menopolitanae collatis hunc in finem facultatibus proprio aere emtum, iisdem cum omnibus ad illud pertinentibus bonis emolumentis, fructibus et juribus per augustissimum Imperatorem collatum exclusivam et inalienabilem constituere nationis armeniae Szamosujvariensis proprietatem. Solos proinde Armenos hujus civitatis incolas atque legitimos eorum successores et posteros habere jus tum ad Dominium, tum vero ad summam inscriptionalem tempore redemtionis Domini per Fiscum regium repersolvendam, prout hoc expresse habetur in Privilegio divi Carolis exti nationi armenae Lib. Reg: civitatis Szamosujvariensis, collato quod ad perpetuam rei memoriam heic in extractu exhibeo ut sequitur:

Nos itaque cum ad nonnullorum Fidelium nostrorum intercessionem Majestati nostrae propterea humillime factam, tum vero ad demissam praememoratae communitatis Szamosujvarini alias Armenopoli residentis sanctae Romano-Catholieae Ecclesiae in praelibato Principatu nostro unitae Instantiam, medio fidelis nostri Honorabilis Patris Michaelis Theodorovichi Archidiaconi et Protonotarii Apostolice, nec non Ecclesiae ejusdem oppidi Armenopolis Plebani, qua Mandatarii et Plenipotentiarii ab eadem communitate armenopolitana ad hunc actum constituti et hue ad au lam nostram emissi, nobis exhibitam, attentis simul et benigne consideratis fidelitate ac fidelibus servitiis praefatae communitatis Szamosujvarini alias Armenopoli residentis, qua ipsi nobis aug staeque Domui nostrae, pro locorum varietate occasionumque exigentia, hactenus exhibuerunt et impenderunt, qualia eosdem in posterum quoque jugi fidelitate continuaturos imo augmentatu ros, benigne confidimus, praelibatum dominium Szamosujvariense cum universis ad illud de jure et ab antiquo pertinentibus et deser vientibus possessionibus, integris, Possessionariis portionibus, carumque Colonis et Inquiliinis, Allodiaturis, Terris item arabilibus cultis et incultis Pratis, Foenetis, Sylvis, Dumetis, Molendinis, Aquis et harum ductibus, Alpibus, Pascuis, Vineis carumque Promontoriis, Oenopoliis, Braxatorio, Macello, et simul cum loco ad latus arcis Szamosujvar Candia dicto, item Darabantonibus, seu Selopetariis, nec non Censibus Decimisque universis et cunctis quovis vocabulo vocitatis hucusque per Fiscum nostrum Regium participatis emolumentis, in urbario fusius declaratis, cum Jure Fisci nostri Regii intra tempus infrascriptum, nec non Jure relutionis integras Possessiones et Portiones Possessiona-

rias ad dictum Dominium Szamosujvariense jure et ab antiquo spectantes et pertinere debentes reluendi suprafatae communis Szamosujvarini alias Armenopoli residenti, et quidem ipsis nunc ibidem existentibus Armenis suisque filiis sanctae Romano-catholicae Ecclesiae unitis, id est quorum saltem unus ex nunc viventibus communitatem Armenam ibidem constituentibus vel Filiis jam natis, aut in posterum a modernis ibidem Patribus Familias nasciturus superstes fuerit, erga deponendam centum milium florenorum Rhenensium summam irredeemptibiliter; Legitimis vero suis successoribus, pariformiter sacrae Romano-catholicae Ecclesiae unitis, et Legatariis in praedicta centum milium Florenorum Rhenensium summa. Inscriptitio Jure subque legali ejusdem summae Evictione concedenda. Et siquidem Nos, praeattatum cum ipsa communitate Szamosujvarini alias Armenopoli residente initum contractum, praemissum in modum benigne ratificaverimus, eademque communitas, in sortem praefatae centum milium Florenorum summae jam sexaginta mille florenos in paratis deposuerit, ac etiam residuae depositionis summae in praefixis terminis suas dispositiones fecerit, et jam possessio Domini Szamosujvar eidem communitati actu tradita est. Nos vero ut armenae in Transsilvania nationi Sanctae Romanae Catholicae Ecclesiae ibidem unitae ex suo pariter unito clero Episcopus admittatur, ejusdem Denominatione et Praesentatione Majestati nostrae semper reservata clementer resolverimus, ac pro intentione seu mensa Episcopali, annuatim sexcentos florenos Rhenenses pendendos, pro reali seu hypothecario fundo autem in capitali duodecim mille florenos Rhenenses ex suprafata centum milium florenorum Rhenensium pro Dominio Szamosujvar ultimam deponenda summa pree manibus ipsius communitatis, quounque Fiscalia Bona aut alius Fundus ejusdem valoris occurreret, relinquendos constituerimus, vigore benignae Resolutionis nostra, per cameram nostram aulicam de dato in hacce civitate nostra Vienna Austriae Die octava mensis Maji. Anni jam praeteriti Millesimi septingentesimi trigesimi septimi, ad Regiam cancellariam nostram aequa aulicam Transsilvanicam intimatae clementer danda, donanda, conferenda et inscribenda duximus.

Prae manibus habeo exemplum typis excusum Privilegii a gloriosae memoriae Imperatore Josepho 2. anno 1789 Armenopolitanis benigne collati, quod in gratiam Lectoris, qui de statu

Armenorum Trausilvanorum in genere, in specie vero de interno communitatum Armenarum organismo uberiorem cupit nancisci cognitionem eo magis communico, quo certius comperi caetera quoque a summis Imperantibus obtenta, utriusque armenae communitatis Privilegia his ut plurimum consona esse.

Nos Josephus II-dus etc. etc. Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniae, Hydrosolimae, Hungariae, Bohemiae . . . Rex. Archidux Austriae. . . . Magnus Princeps Transylvaniae etc. etc. etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Judicis ordinarii Christophori Junioris nempe Jakabfffi, Joannis Verzár, Gabrielis Bogdanfffi, Christophori senioris Karátsoni, Martini Balta, Joannis Baptistae Kovrig et Joachim Rácz, Emmanuelis item Berkai ordinarii Notarii, Christophori Gorove ordinarii oratoris et Stephani Verzár vice-oratoris, caeterorumque juratorum civium oppidi nostri Privilegiati Armenopolis, medio honorabilis Joannis Jakabfffi sacro-sanctae Theologiae Doctoris, Protonotarii Apostolici, capitulo cathedralis Ecclesiae Albo-carolinensis canonicí, Archi-Diaconi Districtualis et Ecclesiae modo fati oppidi Parochi, tanquam Deputati cum plenaria agendi facultate ad altissimum Thronum nostrum ablegati, suplicatum exstitit Majestati nostrae humillime, quatenus Nos litteras quasdam super Immunitatibus et Libertatibus praedictorum civium privilegialiter confetas et a glorioissimae reminiscentiae Genitricie nostra Anno millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo, Die vero decima septima Mensis Aprilis soleniter elargitas, omnesque et singulas eorum continentias, iis solum exceptis quae Benignis normalibus nostris Resolutionibus de concivilitate, Tollerantia Christiana, stabilito item novo Judiciario ordine ac aliis successive emanatis ordinationibus nostris adversari comperiuntur, deleta item illa puncti quinti Privilegialium clausula, vigore ejus in revidendis causis criminalibus Assessores comitatus Szolnok Interioris, cui praeformatum oppidum adjacet, adhibere adstringebantur, ratas gratas et acceptas habentes, praesentibus Litteris nostris verbottenus inseri et inseribi facientes, praedicti oppidi nostri ci-vibus, eorumque successoribus benigne confirmare, confirmatasque tam nos ipsi observare, quam per eos, quorum interest et intererit observari facere dignaremur. Quarum quidem Litterarum

tenor hic est: Nos MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae Regina. Archidux Austriae etc. etc. etc. Quemadmodum singulari studio et sollicitudine eo ferimur, ut concredita a supremo Numine nobis Regna et Provinciae amplius semper Rerum fortunarumque suarum augmentum et incrementum capiant, ac privatorum res et commoda in commune simul Bonum crescere et ampliari in dies queant, sic particularem chari Nostri Haereditarii Transylvaniae Principatus curam eo magis clementer gerere studuimus, cum ille peste aliisque calamitatibus per plures non ita pridem retro actos annos satis confectus prae caeteris Ditionibus nostris et Incolarum numero augeri et Mercimoniis ac reliquis provehendae publicae privataeque felicitatis commoditatibus institui, adjuvarique opus habeat. — Cum igitur oppidi nostri Armenopolis in Transsilvaniae Principatu et comitatu Szolnok interiore existentis cives et inhabitatores Nationis Armenae universi per devotum Lucam Verzár Parochum Loci A. A. L. L. et Philosophiae, nec non sacro-sanctae Theologiae Doctorem, nobilem item Theodorum Daniel, suos ad aulam nostram a Nobis benigne admissos Deputatos, nec non aeque devotum Michaelem Theodorovics Protonotarium Apostolicum et ejusdem oppidi Archidiaconum, item Simonem Kristoff supremum Ecclesiae curatorem, Jacobum Hánkovics Judicem Primarium, Lucam et Davidem Placsintár, Lucam Simai, Nicolaum Kristoff, Christophorum Novak, Christophorum Gorovej, Martinum Lukács, Theodorum Simai, Deodatum Lászlóffii, Martinum Verzár, Abagaram Gorovei, Senatores, Deodatum Karátson Notarium, Simonem Simai et Jacobum Novák, centum Patres exposuerint, quod per sacratissimum quandam Imperatorem, Hispaniarum, Hungariae et Bohemiae Regem ac Principem Transylvaniae Carolum sextum Dominum Genitorem et Praedecessorem nostrum desideratissimum in anno millesimo septingentesimo Vigesimo sexto, die decima septima mensis octobris, ipsi qua catholicam profitentes Religionem privilegialiter, et nemine contradicente in praefato oppido stabiliti fuerint quidem, velint tamen suae plenius etiam consulere permansioni, eoque fine pro novo sibi elargiendo Privilegio demisse et suppliciter institerint. Hinc Nos ex adductis et nobis relatis aliisque animum nostrum Caesareo-Regium moventibus rationibus benignissime annuimus, ut Gens haec in signum

nostrae Caesareo-Regiae erga eandem Propensionis, iis quac sequuntur Privilegiis, Juribus ac Immunitatibus in Transilvania gaudere possit ac debeat, et quidem Primo: clementer concedimus, ut Locus iste, ubi haec Natio Armena suum posuit incolatum, quemadmodum jam antea, ab altefato Genitore nostro indulsum fuit, ita in posterum oppidum municipale latino vocabulo Armenopolis, germanico Armenienstadt, hungarico Örményváros vocetur unaque a jure Dominii Szamosujvariensis in ante lato comitatu nostro Szolnok Interiore adjacentis, ad quod velut Fiscale pertinebat, locum eundem in perpetuum avulsum pronunciamus; volumus practerea secundo, easu quo extraneus Armenus in hoc oppido ad tempus morari, vel vero se ejusdem communitatis commembrum reddere intenderet, prius talis Armenus advena coram illius loci Magistratu se, uti decet, quoad probitatem et alia legitimet, hacque accepta legitimatione idem Magistratus obstrictus sit, coram iis, quorum vi officii intererit, pro tali advena sive ad tempus ibidem commorante, sive ut incola condescendente sub onere praestandae cautionis respondere. Tertio: cum ejusmodi communitatum utilitas per institutionem boni ordinis multum increseat; hinc jubemus clementer ut haec communitas sui dependentiam in civilibus a Gubernio nostro inibi Regio, in oeconomicis autem aequa ibidem Thesaurariatu Regio, Protectionem vero a Generali nostra in eodem Principatu Armorum Praefectura in feliciorem sui permansionem habeat. Quarto: indulgemus ad hacc eidem communitati pro foris Hebdomalibus diem Lunae, pro Nundinis autem solcnnibus seu annuis ternum tempus, nuncupanter Diem quintam Februarii in Festo Sanctae Agathae, diem vigesimum quintum Julii in Festo Saneti Jacobi Majoris, et diem quartum Novembbris in festo sancti Caroli Boromei, quasvis e tribus posterioribus per triduum duraturas, hoc annexo: ne forte tam ipsa Fora Hebdomadalia, quam generales Nundinae cum vicinorum Locorum pariter Foris et Nundinis iisdem coincidunt diebus. Educillum etiam et Macellum in sui gremio teneat. Quinto: Idem oppidum Magistratum suum ex Judice et duodecim Assessoribus e gremio sui juste eligendis habeat, adjungendo una Notario Literalium Expeditionum in medio corundem emergentium capaci, observetur tamen, ut tam ad Judicatum quam Assessoratus a communitate et Ecclesiasticis ejusdem oppidi elegantur viri probi et idonei, ac bonae conscientiae,

justitiaeque studiosi cultores. Quod autem causarum inter se
movendarum Processum et ordinem attinet, ea propter haec est
nostra benigna intentio, ut tales causae ad Magistratum ejusdem
oppidi, qua primam Instantiam debito modo discutiendae per
querulantes deferantur, dein vero rei merito ita expostulante ad
dictum nostrum Regium ibidem Thesaurarium si de re oecono-
mica, si vero de civili agatur, ad Tabulam nostram inibi Regiam
Judicarii, vel ad Gubernium nostrum pariter Regium, pro dif-
ferentia earundem causarum maturioris Revisionis ergo appellan-
dae. Et quia haec communitas Quaestui potissimum dedita, Le-
gum Patriarum et Legalium usum adhuc ignara est, quam-
obrem ut supra ordinatum est sollicite curabit, ut semper publi-
cus Notarius Magistratui adscriptus, erga justam sui praestandi
Laboris et Fatigii compensationem ex Religione Catholica, apt-
tus tamen et idoneus, aequa probitatis et justitiae amans adopte-
tur. Si vero quaedam criminalia occurrerent, in eo casu clemen-
ter jubemus, ut, in ejusmodi criminalium pro Lege et legali Pa-
triae more discussione et dijudicatione semper ex sede Judicaria
ejusdem comitatus Interioris Szolnok, cui videlicet istud neo-con-
stitutum Municipale oppidum adjacet, Officiales ad ejusdem op-
pidi justas expensas vocentur, cum quorum activitate et reali in-
terveniente Judicio, similia criminalia pro dictamine approbati
Juris ruminanda et terminanda suscipiantur, itidem abinde ap-
pellatione (more apud alia municipalia oppida in similibus rece-
pto) ad eandem nostram Tabulam Judicariam vel ad idem Guber-
nium Regium salva. In his praemissis autem, si causarum Quali-
tas ita expostularet, itidem salvus ad Majestatem Nostram detur
recursus. Si vero quidam ex oppidanis cum quodam extraneo
querimonias et lites haberet, eundem aequa apud Forum suum
competens convenire necesse erit. Nam actor Forum Rei sequi
debet. Sexto: Cum Nos benigne annuerimus, ut communitas
haec censem quem hactenus quotannis ad cassam nostram came-
ralem a singulis Familiis per decem florenos Rhenenses penden-
dum habuit, semel et in perpetuum redimere valeat, ac pro eo
jam Viginti quinque florenoruni Rhenensium millia acceptaveri-
mus, ideo eandem communitatem a praestatione census illius in
perpetuum absolutam pronunciamus et declaramus, salva caete-
rum ad cassam Provincialem praestanda contributione ad quam
oppideni etiam isti instar aliarum contribuentium Patriae civium

concurrere tenebuntur, juxta benignas ordinationes nostras. Septimo. A Quarteriorum autem militarium, condescensionum, praefuncturarum, et aliorum his similium onerum supportatione communitatem istam eximimus et immunem declaramus. Octavo. Commercium esto praedictae Nationi Armenae liberum, pro Mercibus licitis tam intra Principatus nostri Transsilvaniae ambitum in Nundinis solennibus, ubique Locorum more consueto venum exponendis, quam etiam in alia nostra Regna, et Provincias haereditarias erga consuetorum nostrorum caesario Regionum Vectigalium, Teloniorum et Tricesimarum pensionem, citra quamvis aliam illegitimam exactionem ipsi obtrudendam, quaestus causa devehendis, eandem etiam practerea securam reddentes, quod nos sicut cordonibus qui jam in hoc oppido contubernium habent, ita et aliis ad stabienda augendaque sua opicia seu Manufacturas, aequo specialia privilegia indulturae nec non ad promovenda sua commercia assistentiam congruam simus elargitiae. Nono. Volumus porro clementer Nationi huie non solum congruum pro rebus suis praetiosioribus in quemcunque sinistrum eventum secure asservandis locum in Arce nostra Szamosujvar, ejusdem tamen Fortificationi neutquam praejudicium, sed juxta illam etiam sufficiens pro construenda in futuram suam necessitatem Domo annonaria spatium assignari. Decimo. Cumdemum humana industria a Divina Benedictione felicitatem sortiatur, aequum existimavimus ut etiam quoad directionem Ecclesiastici ministerii congruum quid statuatur; unde annuimus clementer, ut oppidum Ecclesias Romano-Catholicas jam exstructas, vel ulterius etiam exstruendas pro ulteriori spirituali necessitate dilatare queat, benigne confidentes, quod siquidem prima cura divini cultus sit, hoc oppidum curabit, ut Ministros Ecclesiasticos habeat pro spirituali administratione necessarios, et debitissime congruis qualitatibus instructos, ab eodemque oppido convenienter beneficiundos, qui a Transilvaniensi Dioecesano Romano-Latini Ritus dependebunt, cuius officii erit invigilare, utrum Ritus Armeno-Catholicus debite ibidem et alibi observetur, et an damnati errores haeresiarcharum aequo Armeno-Orientalium, nominanter Eutichetis et Dioscori ac aliorum hac Natione exulent. Practerea idem Dioecesanus sollicitam geret curam, ne cultus privatus, minus publicus in hoc nostro Principatu Armenis non Romano-Catholicis ullo modo permittatur, vel praespecificatorum errorum

sequaces intromittantur, excepto si eorum unum vel alterum solius quaestus causa, Provinciam transire, et id circa temporanee tantillum inibi morari contingeret, aut oporteret. Hisce igitur benigne declaramus et vobis Illustribus, Reverendis, Spectabilibus, Magnificis, Generosis, Egregiis, Nobilibus et Agilibus, Prudentibus item ac circumspectio Gubernio nostro Regio, universisque et singulis haereditarii Principatus nostri Transilvaniae statibus et ordinibus, comitatuum supremis et vice comitibus, Judicibus Nobilium, sedium siculicalium capitaneis et Judicibus Regiis, Civitatum et Sedium Saxonicalium pariter Judicibus Regiis et Magistris civium, cunctis denique Jurisdictioni nostrae quoquo modo subjectis notum facimus et praecipimus, ut paefatum populum Armenum, non duntaxat Transilvaniam ingredi, verum et praefatis indultis nostris, qua futuros veros incolas omnino frui sinatis ac firmiter in omnibus et singulis, quae praefatis in articulis continentur, manuteneret, ac eosdem contra quoslibet Privilegii hujus imcompetentes tueri ac protegere debeatis ac teneamini. Quemadmodum nobis indubie promittimus, dictos Armenos et successores eorundem vicissim debitam erga Nos et Augustam nostram Domum devotionem, fidelitatem et observantiam gesturos, et sie se comportatueros ut tam nobis, quam reliquis devotis nobis Transilvaniae incolis grati et accepti existant. In cuius rei memoriam firmitatemque duraturam praesens Diploma Jurium ante latae Nationis armenae futura pro cautela necessarium sub sigillo nostro pendenti majori extradandum duximus et concedendum, salvo Jure alieno. Datum in civitate nostra Vienna Austriae die de cima septima Mensis Aprilis. Anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo. Regnorum vero nostrorum Decimo octavo. Et subscriptum erat a sinistra Maria Theresia paulo inferius in medio Gabriel comes de Bethlen, ad calcem a dextris Franciscus Bandi. Nos itaque praemissa supplicatione, praedictorum Judicis ordinarii, senatorum item reliquorumque civium praefati oppidi nostri Armenopolis clementer exaudita et faventer admissa, praescriptas literas privilegiales ex conceptu earundem in Archivo cancellariae nostrae Transilvanico-Aulicae praexistenti, sine diminutione et augmento, variationeque prorsus aliquali praesentibus litteris nostris privilegialibus verbotenus insertos, cum iisdem collatas et eomparatas, quoad omnes earum continentias. Articulos, clausulas et Puncta omnia, iis solum

exceptis, quae benignis Resolutionibus nostris de concivilitate, Tollerantia Christiana, stabilito item novo Judiciario ordine ac aliis successive emanatis normalibus ordinationibus nostris adversantur, quarum Resolutionum nostrarum vigorem ubique intacte et inconcusse conservatum volumus, acceptamus approbamus, ratificamus atque pro supradictis universis oppidi nostri Armenopolis civibus, Haeredibus et successoribus eorum utriusque sexus universis perpetuo valituras, atque a Nobis nostrisque successoribus, ut et aliis quorum intersit, seu intererit, observandas confirmamus imo mandamus ut illa quoque Puncti quinti clausula, vigore ejus in discussione causarum criminalium Assessores comitatus nostri Szolnok Interioris adhibere adstringebantur in perpetuum maneat deleta, atqne in hac quoque parte ipsi Judici ordinario ejusque senatoribus (oppido hoc virtute aliarum Litterarum nostrarum Privilegialium proxime in forma exarandarum jam in liberam regiamque civitatem evecto) juxta altissimas nostras ordinationes plenaria judicandi facultas attribuatur, ut autem in posterum quoque industria ipsorum in promovendo in magno nostro Transilvaniae Principatu commercio, semper tamen ad jam stabilitam aut in posterum stabiendum Normam tricesimalem exactissime conformando, exacuatur, ac ipsi quoque exercendo quaestui, propagandisque opificiis et erigendis Fabricis majori cum sollicitudine incumbere possint, insignum majoris nostrae in eos propensionis sequentes adhuc eisdem favores indulgentos decrevimus 1º ut cum oppidum hoc modo, quo praefatum est, in numerum reliquarum Liberarum Regiarumque civitatum relatum sit, idem omnibus in posterum Juri bus, Immunitatibus et Privilegiis uti, frui et gaudere possit, quibus reliquae hujusmodi civitates utuntur, fruuntur et gaudent. 2-do ut causae ipsorum quoconque sub titulo oriundae et pertractandae ad ductum neointroducti Judiciarii ordinis non amplius ad Gubernium nostrum Regium sed immediate ad Tabulam nostram Regiam Judiciariam via appellationis provocentur, ibidemque ad ductum praescriptarum nostrarum normalium ordinationum pertractentur. 3. Cum per introductam concivilitatem successivasque Resolutiones nostras hujus etiam oppidi cives Jus indigenatus consecuti in verosque legitimos et indubitatos Patriac Filios, communi cum omnibus aliis in Transilvania Incolis praec-

rogativa gavisuros adoptati sint, clementer praecipimus, ut si Li-
dem eorumque Liberi ad gerenda publica officia se aptos reddi-
derint, ad eadem instar aliorum verorum Indigenarum et patriae
Filiorum capessenda applicentur. Denique 4. concedimus id eti-
am hujus oppidi civibus, ut ibidem pro Publico illius vicinorum-
que Locorum bono et commodo praeter praehabita qualibet he-
bdomade die Lunae Fora, tres item Nundinas annuales in praein-
sertis Literis Privilegialibus puncto quarto specificatas, unum
adhuc Forum hebdomadale diebus Veneris et quartas etiam Nun-
dines annuales die prima Maji ad Festum Sanctorum Philippi et
Jacobi Apostolorum indicendas celebrare et competentes exinde
Taxas et Proventus percipere possint, ea tamen per expressum
adjecta declaratione, ut ubi ipsa annorum serie praemissi cele-
brationi Nundinarum dies in diem Dominicam aut Fori Festum
inciderint, casum in illum hujusmodi Nundinae hanc, aut tale
Festum proxime sequentibus diebus, nunquam autem Dominico
vel Fori Festo celebrentur, clementissimam itaque hanc per
praemissa, modo factam Privilegii confirmationem, novosque op-
pido huic ejusdemque civibus concessos favores contestatam vo-
luntatem nostram non solum iisdem benigne declaramus, sed eti-
am vobis Illustribus, Spectabilibus, Magnificis, Generosis, Egre-
giis, Nobilibus et Agilibus, prudentibus item et Circumspectis
Gubernio nostro Regio, universisque et singulis haereditarii
Magni nostri Transilvaniae Principatus statibus et ordinibus, co-
mitatum supremis et vicecomitibus, citatumque Judicibus et Ma-
gistris civium, cunctis denique Jurisdictioni nostrarae quoquomodo
subjectis notum facimus et praecipimus, ut praefatum oppidum,
eiusque cives tam modernos quam futuros in omnibus et singulis
quae praemissis in Articulis continentur, firmiter manutene, ac
eosdem contra quoslibet hujus Privilegii Impeditores tueri ac pro-
ut et ipsi eosdem omnimode observare debeatis et teneamini sal-
vo Jure alieno. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuo
duraturam praesentes Litteras confirmationales et respective Pri-
vilegiales in formam Diplomatis redactas antelato oppido Arme-
nopolitano ejusque civibus pro futura cautela necessarias, sub si-
gillo Nostro majori pendente extradandas duximus et conceden-
das. Datum in civitate nostra Vienna Austriae. Die nona mensis
octobris. Anno Domini millesimo septingentesimo octoagesimo

sesto. Imperii nostri Romani Vigesimo secundo. Regnorum vero nostrorum haereditariorum sexto.

JOSEPHUS. m. p.

Comes Carolus Pálffy m. p.

Josephus Donáth m. p.

C A P U T VI.

Armenia Ethnica, Armenia Christiana. S. Thaddeus et Bartholomaeus Apostoli in Armenia praedicant. Totius Armeniae conversio refertur ad initium saeculi IV. et tribuitur S. Gregorio Illuminatori. Prodigiosa Regis Tiridatis conversio, ejus in Deum et Religionem pietas ac zelus. Apostolici S. Gregorii in conversione Armeniae labores. Caesar Maximinus Armenos ob susceptam fidem persequitur. Constantinus Magnus foedus cum Armenis renovat. S. Sylvester Papa S. Gregorium et Ecclesiam Armenam praerogativis ornat. Patriarchae et stirpe S. Gregorii viri spiritu Dei et fide pleni, gentis suae Patres et Benefactores. Armeniam bonis artibus et institutis, sacris profanisque Literis illustrant.

Armeni ad instar caeterarum per orbem gentium, si solos excipias Hebracos, ante Christum, plures Deos coluerunt. Acciperunt a Chaldaeis Siderum, a Persis Elementorum, a Syris, Graecisque reliquarum quas superstitione antiquitas in veneratione habuit, cultum Divinitatum.¹⁾ Praecipuo tamen apud eos in honore, Dianam quam Anaitidem appellant, fuisse. Strabo author est: Omnia (inquit) Persarum Templa tam Medi quam Armenii in veneratione habent, Tanais (Anaitidis) Templa praecipue Armenii. Cum in caeteris locis ea aedificantes, tum etiam in Acilesina, dedicant illi servos ac servas etc. item. Zeletica regio (minoris Armeniae) zela urbem super aggere Semiramidis conditam habet, in ea templum est Anaitis quae ab Armeniis colitur. Hoc in loco sacra cum sanctimonia maxima celebrantur, et jusjurandum de rebus maximis hic fit.²⁾

¹⁾ Chorenensis Historia Armeniae. L. 2. c. 8, 14, 19, 77. Agathangelos pag. 354, 362.

²⁾ Strabo de situ orbis L. XI.

Communis fert Armenae non secus ac Romanae Ecclesiae traditio SS. Thaddeum et Bartholomaicum Apostolorum Evangelium in Armenia annunciasse atque innumeros Armeniorum ad fidem Christi convertisse. Qui tamen post gloriosam S. S. Apostolorum, quam in Armenia subierunt, mortem rursus in idololatriam sunt relapsi. Ecclesias certe et Episcopos per haec tempora et usque initium saeculi IV. in majori Armeniae exstisset nuspam legimus; ut eorum opinio, qui Meruzanem, ad quem Dionysius Alexandrinus teste Eusebio Historiae Ecclesiasticae L. VI. c. 46. Epistolam de Poenitentia scripsit, in minori non in majori Armenia fuisse Episcopum dicunt, fundamento non careat. — Multos tamen in tradita ab Apostolis Fide constantes perstitisse, et conplures martyrio affectos fuisse Armena perhibet Historia.

Armeniam minorem, quae his, de quibus sermo est, temporibus Romani constituebat Provinciam Imperii, mature luce Evangelii illustratam et Sanguine Martyrum conspersam fuisse, praeter alia Documenta Historica palam faciunt Martyrologia Graeca et Romana, in quorum singula ferme pagina, natales celebrantur Martyrum, qui durante epocha Persecutionum, Sebastae, Melitinae, Nicopoli, Satalis aliisque armeniae minoris locis vitam pro Christo posuerunt.

Totius gentis Armenae in utraque quidem cumprimis vero in majore Armenia, conversio refertur ad initium Saeculi Quarti, eaque tribuitur S. Gregorio Armenorum Apostolo atque Illuminatori. Agathangelos scriptor coaevus et Metaphrastes in vita Sancti diffuse enarrant multiplicitia eaque atrocia sane tormenta quibus S. Gregorius a Tiridite Armeniae Rege, Diocletiani, in cuius aula educatus beneficioque regno paterno restitutus fuerat, saevitiae in Christianos aemulo, affectus est. Idem porro describunt portenta, quae post caedem S. S. Virginum Ripsimae et Cajanae in Regis Tiriditis persona ejusque aula contigerunt, quaeve Regem permoverunt ut S. Gregorium e tetro puteo, in quem constantem Dei confessorem ante annos quatuordecem conjecerat, educeret, docilesque ejus praedicationi aures praeberet. Ex iisdem Authoribus discimus: Tiridatem postquam per intercessionem S. Gregorii, a plaga sua sanatus, fidei rudimentis imbutus, baptizatusque fuisset apostolicarum S. Gregorii per Armeniam peregrinationum ac laborum socium se individuum vivumque veritatis a viro sancto annuntiatae testimonium populo

suo exhibuisse, subditos suos, relatis, quanta Deus in ipso, per virum quem coram intuerentur, operatus esset, prodigiis ad Christi Fidem amplectendam hortatum fuisse,¹⁾ imo ut Sozomenus refert; publicis quoque legibus et edictis populum ad fidem compulisse: Ajunt enim (inquit) Tiridatem gentis illius (Armenac) regem occasione coelestis cuiusdam portenti, quod in domo ipsius acciderat, et ipsum Christianum factum esse, et subditis omnibus palam per praecones mandasse ut candem religionem colerent.²⁾

Quibus rebus factum ut Armeni catechumeni, S. Gregorio, Caesarea-Cappadociae, ubi a S. Leontio urbis Episcopo in Armeniorum fuerat consecratus Pontificem reduci ad Euphratem occurrentes, in fluentis fluminis ejusdem Baptismo regenerarentur. Metaphrastes numerum eorum, qui hac occasione undis salutibus inter manifesta divinae complacentiae signa abluti, filii lucis effecti sunt ad 415 hominum ponit myriades. Illi quidem (inquit) baptizabantur in Euphrate, ejus autem retinebatur fluens et videbatur columna lucis, tanquam super basim posita super aquas, ipsos solis radios, quod ad splendoris attinet rationem, longo intervallo superans, simul autem cum ea crux quoque oriebatur in Capite (S. Gregorii) et erat id quidem visu mirabile, toto autem illo die cernebatur oculis eorum, qui fuerant baptizati, ipsius autem multitudinis plenus et perfectus numerus erat quindecim Myriades-Cum septem vero dies Pontifex esset simul cum eis versatus et aliam multitudinem baptizasset innumerabilem, si autem credendum est famae, quae in vulgus manavit, quadrigentas myriades, octavo die illinc recedens et Ecclesias aedificavit per universam Armeniam et Sacerdotes in eis constituit.³⁾

Igitur brevissimo temporis intervallo Armenia universa, cultu idolorum abjecto, ad Christi fidem conversa, catholicam veritatem, non modo docilis discipula Gregorio Doctore didicerat; sed et magistra Persidem, Albaniam, Iberiam aliasque finitimas regiones edocebat. Postea vero ait Sozomenus ad vicinas Armenias Gentes eadem pervasit Religio, et ad multas vagata est, quod ad Persas spectat ex illis initio Christianos factos arbitror non-

¹⁾ Vita S. Gregorii Illuminatoris Armenorum, in Actis Sanctorum a J. Stillingo. T. VIII. ad 30. Sept.

²⁾ Sozomenus Histor. Ecclesiasticae L. 2. c. 7.

³⁾ Metaphrastes apud Surium. 30. Septembribus.

nulos, qui propter consuetudinem quam habebant cum Osdroënis et Armeniis in colloquium ut verisimile est, cum divinis viris, qui ibi erant, venerant et virtutis eorum periculum fecerant.¹⁾

Armeniae ad fidem conversio, Romanum imperium varie, pro vario eorum, qui sortem ejus cum summa moderabantur potestate, affecit genio. Caesar Galerius Maximinus qui Orienti id temporis praecorat, intellecta Armenorum conversione ultra hominem effratus, armis eos ad restaurandum in Armenia falsorum numinum cultum compulsurus, bellum illis intulit, sibi Romanoque exercitu exitiale. Eusebius Caesareensis Historiae Ecclesiasticae L. 9. c. 8. ubi de plagis quibus Romanum imperium ea tempestate affectum erat, disserit, rem hanc hoc modo enarrat: „Bellum insuper a Tyranno (Maximino) commotum est adversus Armenios, jam inde a priscis temporibua amicos ac socios populi Romani, qui cum Christiani ipsi quoque essent, et divinae religionis studiosissimi, Deo invitus tyrannus eos ad simulacrorum ac Deorum cultum traducere per vim conatus, pro amicis inimicos, hostes pro sociis effecit et ipse quidem in bello adversus Armenios una cum exercitu suo varias clades atque aerumnas pertulit.“

Constantinus Magnus ex adverso, qui ipse quoque iisdem temporibus, divina aspirante gratia, Christo nomine dederat, Tiridatem Armeniac Regem, et S. Gregorium ex ultimo oriente cum splendido comitatu, ad se visendum, atque de fidei in Christo communione invicem congratulandum currentes, inter summas honoris et gaudii significationes excepit. Cum rege Tiridate foedus, quod Maximinus imprudenter fregerat tum ipse renovavit, tum S. Sylvestro Papae ut Spirituale cum S. Gregorio iniret author exstitit, nec tardavit Christi in terris Vicarius, illustrem suum in Fidei confessione collegam et vivum Martyrem Gregorium ejusque in Patriarchatu Armeniae successores eximiis honoribus et praerogativis ornare. Quae praecipuam constituent Ecclesiae Armenae gloriam, et firmissimum unionis cum S. Romana Ecclesia atque concordiac vinculum.²⁾

¹⁾ Sozomenus Hist. Ecclesiast. L. 2. c. 7.

²⁾ Agathangelos. C. 1. pag. 125. Moses Chorenensis L. 2. c. 77. Nicephorus L. 8. Clemens Galanus in conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana c. 2.

Erat itaque, ait Metaphrastes, Constantinus et Tiridates tanquam lucidae stellae, alter quidem occidentem, Constantinus scilicet, alter autem orientem lustrantes honesteque et suaviter resplendentes . . . in hac ergo sacra synodo nempe Nycena et alter alterum juverunt Reges et cum alio honore se invicem affecerunt tum etiam per litteras collaetati sunt sententiae communione in vera pietate.¹⁾

Qui S. Gregorium in Pontificatu Armeniae usque eversiōnem Regni, et Dynastiae Arsacidarum ex ejus praeprimis progenie exceperunt Patriarchae, magni sui antecessoris inhaerentes vestigiis, abolendis ethnicae superstitionis reliquiis, Fidei veritatibus alte in corda Armeniorum inplantandis, moribusque eorum ad Evangelii placita exigendis singulari cura et zelo indefesso incubuerunt. — Idem celebratis per Armeniam Synodis nationalibus, varia condiderunt decreta et canones, quibus vitae et Disciplinae Ecclesiasticae ac Religiosae ratio determinatur, cultus et officii divini ordo stabilitur, praeterea Aristacem S. Gregorii Coadjutorem Concilio Nicaeno primo, S. Niersem Concilio Constantinopolitano primo interfuisse, Isaacum Magnum Canones concilii Ephesini recepisse atque in Armeniam intulisse historica tradunt monumenta.

Sublimis qua Patriarchae Armeniae secundo in Regno a Rege gradu, praefulgebant, dignitas, populum inter et Regem mediatores illos verosque Patres efficiebat. Eorum certe tanta erat apud Armenos authoritas, ut per eos non semel ortae inter Armeniae satrapas, aut hos inter et Regem acres contentiones et cruentae hostilitates sint compositae, pax conciliata et tranquillitas sit restituta. Idem in arduis regni adjunctis, susceptis non semel, ad aulas Principum exterorum, Constantinopolim et Ctesiphontem legationibus, Patriae suae saluti prospicere satagebant. In cunctis Regni majoris momenti negotiis, Patriarchae expetebatur et audiebatur consilium. Verbo universi, ut communem eum omnium Fidelium inno ut Patriae Patrem suspiciebant et venerabantur. — Conferebat ad hoc non parum eximia vitae, qua cunctis praelueebant, integritas et sanctitas, cum primis vero ardens domus Dei et salutis animarum zelus, quo vitia in viris Principibus non minus ac in populo redarguebant. Hinc non unum eo-

¹⁾ Metaphrastes apud Surium Tom 5. die 30 Septembris.

rum, quod dissolutos Principum mores severius reprehendisset, zeli Pastoralis victimam cecidisse invenimus. Aristaces immediatus S. Gregorii successor ab Archelao Principe, quod vitia viri corripuisse eruditus crudeliter occisus. Hesichius quod Juliani apostatae imaginem populi adorationi in Templo expositam confregisset a rege Arsace interfactus. Nierses 1^{us} Magnus, a Para, pariter Armeniae rege veneno sublatus, gloriosam mortem oppetierunt. Isaacus magnus cognomine Parthus, Artasirem Armeniae regem ob vitam flagitiosam saepe paterne admonuit, inducitamen nunquam potuit, quantumvis per Satrapas Armeniorum cum precibus tum minis sollicitaretur, ut in ejus accusationem, apud Vararanem Persarum regem, cuius vasallus tum rex Armeniae erat, consentiret. Neutiquam vos (ait illis Isaacus) in falsis testibus pono, namque ego ipse turpia hujusmodi flagitia de eo audivi, quae cum saepe reprehenderem, ille pernegavit. Jam igitur vitia viri nos paulisper ferre par est, dum de exitu rerum cum Graecorum Imperatore conferre possimus; neque enim eum improbis deridendum tradi decet, et cum illi aerius instantent et non consentiret, ipsum quoque cum Rege solio detrudendum minarentur, nefario eorum consilio regno non minus ac religioni perniciose fortiter constanterque insigni prorsus fortitudinis sacerdotalis et prudentiae pastoralis exemplo obstitit; qua occasione sequentia aeternum memorabilia, tanto animarum Pastore digna protulit verba: „Longe absit a me ut ovem meam errantem Lupis committam, nec fractam infirmamve colligam. Quod si coram rege Christiano res agenda esset, abjecta omni cunctatione festinarem sperans fore, ut ita lapsum erigerem. At vero Ethniciis eum tradere, eo graviore ruina opprimendum non libet, pro eo quod scriptum est: Non tradas belluis animam quae Te confitetur. Quippe sancto lavationis signo notatus est, quamvis flagitiosus sit. Scortator est, at certe Christianus est. Libidinoso corpore est; at animus rectae fidei adhaerescit. Dissolutus est moribus; at minime ignem colit. Debilis est ad foeminas, attamen elementis non servit. — Et quid est, quamobrem ovem meam aegrotat sana bellua commutem, cuius ipsa sanitas nobis detrimento erit.”)¹⁾

¹⁾ Moses Chorenensis Historiarum L. 3. c. 63.

Patriarchae Armeniae, amplos, quibus e Principum munificentia et fidelium largitionibus gaudebant, redditus in pios fines, qui ad levamen pauperum et infirmorum, culturam Cleri et populi facerent, contulerunt. Magnis in annilibus Armeniae celebratur encomiis paterna in specie S. Niersis Patriarchae sollicitudo, qua pauperibus, in multiplicibus, quibus in hac vita configantur miseriis et adversitatibus per creationem et dotationem variorum institutorum succurrere sategit. Innumera quippe dictum in finem, in diversis regni locis erexit Nosocomia, Xenodochia, et Hospitia. Tempa insuper et monasteria aedifieavit magno numero. Nec alias magis, quam ejus temporibus floruit in Armenia disciplina regularis et vita monastica, cum ultra bis mille illa aetate censerentur in Armenia monasteria.

S. Isaacus doctrinae et virtutis laude conspicuus, alter a S. Gregorio Ecclesiae Armenae stator, detectis opera Doctoris Mesrobi Armeniacis characteribus culturae nationali sacrae non minus ac profanae fundamenta jecit. Characteres Graecos, Persicos et Syriacos quibus Armeni in vita communi, liturgiam item Syriacam, qua in cultu divino antea utebantur abrogavit, et linguam ac liturgiam Armenam introduxit, innumeratas in utraque Armenia Scholas erexit, felicioris ingenii adolescentes ad exterias Academias Athenas, Alexandriam, Constantinopolim et Edessam misit. Qui inde omnigenae eruditio Thesauris onusti, sunt in Patriam reversi, quod S. Nierses Ghelajensis in Historico suo carmine eleganter exprimit in versibus:

Decerptos sapientiae flores
Ad instar Apum alis onusti
In Ecclesiam Armenam adduxerunt
Tales fuerunt Moyses Chorenensis
et David Philosophus
Mambracus etiam et alii sequentes
Tanta gratia superne impleti
Ut et Graecos supergressi sint.

A Mesrobo et Discipulis adjutus S. Isaacus, sacros veteris et novi Foederis libros in Armenicum transtulit idioma. Idem pariter Interpretes quamplurimis Syriacis et Graecis operibus in Armeniam linguam traductis, quorum pleraque in origine deperdita in Armenia nonnisi supersunt versione, de re literaria universim optime meruerunt. Ecclesiae vero Armenae, cuius liturgiam ac

officii divini ordinem adornarunt, et quam elegantissimis iisque devotissimis sacris hymnis, canticis, orationibus aliisque Ecclesiasticis operibus locupletarunt, facti sunt veri columnae, Patres et Doctores, a quibus acceptos ritus et traditiones Armeni hodieum sancte custodiunt.

Floruit S. Isaacus initio saeculi quinti, et sedit usque annum 428. Fuit epocha haec vere aurea Ecclesiae Armenae actas, divina bonitate et providentia genti concessa, ut per Dei verbum in vernaculam translatum, in vera Christi Fide firmaretur et muniretur contra apostasiam, ut in piis sanctorum Patrum qui hac aetate floruerunt, operibus in calamitatibus, quae supervenerunt, consolationem; in Fidei symbolis et constitutionibus Fidei cui in persecutionibus adhacresceret anchoram, et Disciplinae cui se in turbidis temporibus conformaret normam possideret. Deturbabatur enim anno supra dicto 428 ab infidelibus et Patriarcha e solio et Rex e Throno suo, Armeni Rege pariter ac animarum Rectore orbati Persarum subiere servitatem, atque universalis rerum tum in regno cum in Ecclesia Armenia subsequuta est convulsio.

C A P U T VII.

Reges Persarum Sapores IIlus et Isdegerdes IIlus Armenos Fidei causa persequuntur. Mihr-Nierseh primarius Isdegerdis Minister Armenos Litteris ad Fidem Christianam abjurandam, et Zoroastri amplectendam superstitionem provocat. Armeni ad has Litteras synodaliter respondent. Religionem Zoroastri scite refutant et veritatem Doctrinae Christianae erudite defendant. Cum autem Rex hac apologia irritatus Armenos vi armorum ad propositum suum flectere moliretur, Armeni sumtis duce Vartano pro Fidei defensione armis, Persas regno exturbant et se in libertatem vindicant.

Persae possessionem Armeniae non aliter securam et stabilem arbitrati, nisi Armenos eadem secum jungeret religio, gentem modis omnibus a Christo avertere et ad Zoroastri sectandam superstitionem inducere conabantur. Jam Sapores IIlus sub finem saeculi IV. aegerrime ferens, vicinam sibi Armeniam Christianam effectam, et perbene sciens, nomen Christianum in Perside, quamdiu Armeni Christiani essent, extirpari non posse; malum ut ipse credebat, in eunis suffocaturus, dolo intercepto Armeniae Rege Arsace atque interfecto, manus Armeniaci injecit, atque atrocissimam adversus Armenios suscitavit propter Fidem

persecutionem. Triste fatum Arsacis Ammianus Historiarum L. 27 enarrat ut sequitur: Rex vero Persidis longaevus ille Sapor et ab ipsis imperitandi exordiis dulcedini rapinarum addictus, post Imperatoris Juliani excessum et pudendae pacis icta foedera, cum suis paulisper nobis visus amicus, calcata fide sub Joviniano pectorum injectabat Armeniae manum, ut eam velut placitorum abolita firmitate, ditioni jungeret suae, et primum per artes fallendo diversas, nationem omnem renitentem dispendiis levibus afflictabat, solicitans quosdam optimatum et Satrapas, alios excursibus occupans inprovisis. Deinde per exquisitas perjuriisque mixtas illecebras captum regem ipsum Arsacem, adhibitumque in convivium, jussit ad latentem trahi posticam, eum, effossis oculis vinclum catenis argenteis (quod apud eos honoratis vanum suppliciorum aestimatur esse solatum) exterminavit ad castellum Agabana nomine, ubi diseruciatus cecidit ferro poenali.

Clemens Galanus de hac persecutione disserens scribit:¹⁾ Sed quis non insuper admiretur firmissimam Armeniorum constantiam in cruciatibus strenue toleratis pro Christo sub hoc Rege (Sapore) haud enim regem Arsacem solum, sed et innumerabiles ex Armenia Christianos pro fide Christi dirissime excruciat et nec tradidit Sapor diversis temporibus. Legatur Armenicum Gia-rentir (Narrationes selectae) quod pluribus hoc testatur in locis et praecipue in Narratione 46. ubi sic habetur: Anno trigesimo secundo Regni Saporis exiit adversus Christianos crudele ejusdem Persarum Regis edictum, quo jam gladius districtus erat, ut quemlibet qui se Christianum diceret obtruncaret, jam acuentes mucrones defatigati fuerant, delassataque brachia Trucidantium, nec propterea veritatis unquam defecit confessio, neque uti in animum sibi Tyrannus induxerat, ita factum est, pro certo plane existimabat, centum duntaxat homines occidendo, se finem ultro sanguinem effundendi facturum, verum tamen millium millibus jam mortem attulerat, et adhuc in principio erat.²⁾ Quibus etiam verbis concordant illa, quae Cassiodorus ex Sozomeno refert in historia tripartita L. 3. c. 2. dicens: Sequenti vero anno, die qua passionis Christi memoria celebrabatur et exspectabatur Resurrectionis festivitas, crudelissima Saporis praeceptio per omne Persarum eucurrit terram, morte condemnans eos, qui se profi-

¹⁾ Cl. Galanus De conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romano L. I. c. IV.

tentur esse Christianos, quo tempore fertur ultra numerum multitudinem Christianorum gladio cecidisse.

Quod perficere Sapores non potuit, id exequendum sibi sumsit Isdegerdes 2dus. Itaque vires nationis succisurus, ex Magorum consilio, exercitum optimatesque Armenorum adversus Chusaeos, ad Oxum fluvium et alterum maris Caspii latus sitos, quibus cum bello tunc dissidebat, duxit: atque ut Eliseus scriptor coaevus et testis gestorum oculatus refert, integro illo septennio, quo in castris illos detinuit, nihil non egit quo strenuos Christi milites et fidei athletas a Fide averteret, non precibus pepereit et promissis, non minas intermisit et cruciatus, atque ut terrorem caeteris incuteret, plures et inter eos viros illustres et Satrapas exquisito tormentorum et vario mortis genere sustulit.

Dum haec in castris aguntur, domi Isdegerdes, datis medio supremi sui Ministri ad Armenos Litteris, illos palam ad apostasiam sollicitat: Exemplum memorabilium harum Litterarum est sequens:

Mihr Nierseh, Dux et supremus Ariorum omnium et non Ariorum Administer, Armeniis majoris Armeniae salutem!

Seitote, quoniam omnis, qui sub sole vivit, et non tenet religionem Zoroastri, surdus est ac caecus, deceptus a daemonibus Arhimanii. Quoniam antequam fierent Coeli et Terra, magnus Deus Zerovanes sacrificavit mille annis; dicens: forte nascetur mihi filius Ormisdas, qui faciat coelum et Terram, et ecce concepit geminos in utero, alterum quia sacrificavit, alterum quia dubitavit, dicens: forte nascetur. Cumque intellexisset geminos esse in utero, qui prius inquit, prodierit, illi dabo regnum, et ecce Arhimanius, qui ex incredulitate conceptus fuerat, aperuit uterum et exiit in lucem prior, dicitque illi Zerovanes. Tu quis es? cui ille, sum Ormisdas filius tuus, reponit illi Zerovan: Filius meus lucidus est et grati odoris, tu vero tenebriscosus es et male oles, cum autem flevisset amare, dedit illi regnum per annos mille. Cumque alterum quoque genuisset filium, nominavit illum Ormidam; et sublato regno Arhimanio, dedit illud Ormisdæ dicens: Ad hucusque tempus ego sacrificavi tibi, abhinc vero sacrificabis mihi tu, fecitque Ormisdas Coelum et terram, Arhimanius ex adverso creavit cuneta quae sub sole sunt mala. Atque hoc modo dispescuntur omnes creaturae. Angeli Ormisdæ sunt, Daemones Arhimanii, Bona cuneta, cum in coelo tum in Terris ab Ormida

proveniunt; et contra omnium malorum author in coelo ac in terra Arhimanius est. Similiter et Hominem fecit Ormisdas; morbos vero, infirmitates et mortem Arhimanius; pariter bella, infornia, adversitates originem ducunt a malo Principio, ex adverso sanitatis, pulchritudo, elegantia formae, prosperitas, longaevitatis suam originem debent bono Principio.

Quapropter a veritate multum aberrant ii, qui dicunt: mortem a Deo esse, atque bona non secus ac mala a Deo provenire, praesertim ut docent Christiani, quod Zelator sit Deus et propter eum fici unius de arbore fecisset mortem, hominemque poenam mortis subjecisset. Hujusmodi zelum ne homo quidem erga hominem habet, ne dicam Deum erga homines. Qui igitur hoc dicit is surdus est et coecus seductus a Daemonibus Arhimani.

Alium etiam errorem non minus damnandum docent; dicentes: Deum qui fecit Coelum et Terram descendisse, et e quadam muliere, cui nomen Maria, viroque nomine Joseph natum esse, et posthujusmodi hominem seducti abierunt multi.

Quod si Graeci prae nimia sua ignorantia et stupiditate in errore versantur, atque nostra divina religione privati, vitam in tenebris ducunt; absit vobis illos in errore sequi, et ad instar illorum eoccutire, quin vos eam quam Dominus et Rex vester tenet amplectimini religionem, praesertim cum et rationem reddere Deo debeamus pro vobis.

Nolite credere praepositis vestris, quos Nazareos appellatis, sunt enim seductores, qui vos decipiunt; quod ore docent opere non adimplent, dicunt: Carnibus vesci fas est, at illi vesci renunt. Uxorem ducere bonum est, at illi ne aspicere quidem foeminam volunt. Bona mundi parvi faciunt et eligunt paupertatem. Gloriam et honores vilipendunt. Vestium Splendorem aspernantur; diligunt autem miseras et vestiuntur vilibus, laudant mortem et contemnunt vitam. Coelibatum anteponunt conjugio et procreationi prolium. Etsi illos audias ne mulierem quidem tanges, siveque genus humanum extinguetur, finisque mundo imponetur.

Nolo cuncta scripto singillatimi prosequi, multa enim sunt valde quae isti docent, quod vero pejus omnibus est: Ipsum Deum ab homine cruce affixum praedicant. Eundem mortuum et sepultum resurrexisse dicunt et in coelum ascendisse. Jam vos ipsi ju-

dicate; num sana sit hujusmodi Doctrina. Profecto dedecet vos vel loqui similia nedum credere.

Quare alterutrum eligit: aut ad singula Epistolae puncta respondete, aut regio vos sistite tribunali.

Episcopi et optimates Armenorum cum Josepho Patriarcha anno Christi 450 Artaxatis congregati, sequens ad praemissas Litteras dederunt responsum.

Josephus Episcopus et universa Ecclesia Armeniae, Mihr-Nierseio, magno Ariorum et non Ariorun (Iran ve Aniran) Administratio salutem plurimam et pacem!

Divinum est apud nos praeceptum et mos traditus a majoribus, quem nos etiam sancte custodimus; pro salute et incolumente Regis indesinenter preces ad Deum fundere et orare, ut quod a Deo accepit imperium, in pace gubernet, ut pace terris per regem procurata, Nos quoque ea, quamdiu vivimus perfruamur, et Deo in pace serviamus.

Quod Litteras, quas ad nos misistis attinet: non oportebat vos obliisci; Principem Magorum, quem anteactis temporibus in eundem finem, in nostrum regnum miseratis, quemve vos in lege vestra doctissimum et ultra quam humana fert natura sapientem reputabatis, de veritate Doctrinae nostraræ persuasum credidisse in Deum vivum coeli et terrae conditorem; eumque ad vos reversum, superstitionis vestrae falsitatem luculenter demonstrasse. Cui cum vestri verbis resistere non potuissent, jussu Ormisdae lapidatum interemerunt. Scripta illius supersunt apud vos, legite ea et intelligite. Neque enim religio nostra in abscondito praedicatur, aut in aliquo duntaxat terrae angulo, sed per universum orbem, mare et aridam, per insulas et omnes plagas mundi, propagatur autem non humano aliquo auxilio innixa aut potestate protecta, sed propria virtute, et Dei, a quo ortum dicit, gratia. Unus autem est Deus, nec est Deus alius, sive senior sive junior praeter Ipsum. Deus neque spatio comprehenditur aliquo neque tempore sed Factor est utriusque. Non se in forma clementorum manifestat, neque in visum aut sensum cadit cujusquam. Mente comprehendendi non hominum sed ne Angelorum quidem potest.

Nomen Ejus: Creator Coeli et Terrae, neque initium existendi habens neque finem, sed est aeternus. Creaturis autem, initium existendi dum Ipse voluit, dedit, non ex materia quadam praecexistente sed ex nihilo. Ipse enim solus Est, reliqua cuncta,

esse, ab Eo acceperunt, praescivit autem omnia, praeccognovit antequam creasset.

Manus, quae coelum condiderunt et Terram legem nobis pacis dederunt ac salutis, ut cognoscamus Deum visibilium omnium et invisibilium creatorem. Qui non est diversus, quasi alias sit bonus, alias malus, sed unus et idem totus bonus.

Quod autem dicitis. Deum propter ficum unum, mortis sanguis poenam, Fragmentum membranae fico longe vilius est, et tamen si Regis illi inscribatur mandatum, discerpatque quis illud, poena plectitur mortis; numquid malum idcirco dicemus regem? absit! igitur ex similitudine discite veritatem. Deus tunc posset dici zelator, si praeceptum de non manducando de fructu arboris non dedisset, et tamen punivisset, at postquam praevie cavit et monuit paternae suae clementiae et bonitatis argumentum exhibuit per hoc manifestum. Homo vero transgressus mandatum poenam contraxit mortis. Dicitis porro, nos Deum e muliere natum docere, et in hoc scandalizamini, et ecce vos Arhimanium vestrum atque Ormisdam non e foemina sed viro natum adstruitis, quod ne vos quidem serio credere arbitramur.

Interim si ex fastu tuo tantisper cedere et in colloquium nobiscum condescendere dignareris, cum in aliis sapientia praestes, tum et Domini nostri Jesu Christi incarnationem et nativitatem e sancta Virgine minime inter vaniloquia poneres, sed postremum hoc salutis, quod per Christum contigit opus, ipsa mundi ex nihilo creatione sublimius et excellentius esse utique intelligeres et scires hominem libertate abusum, in peccati lapsus servitatem. Deum vero infinita sua bonitate eundem e servitute redemptum libertati restituisse. Homo enim libera voluntatis electione lapsus, propria virtute caput attollere et se erigere, absque coelesti liberatore nunquam potuisset. Hoc autem nequaquam malo cuidam Principio, ut vos docetis, adscribendum; sed ut diximus, propter transgressionem mandati divini, homo, parte sua corruptibili mortis meruit sententiam, atque in pulverem, e quo factus est, revertitur. Igitur neque mortem malus Deus fecit, neque boni Dei opus corrupisse dici potest; quod si enim sic se res haberet, bonus Deus dici qui posset! cuius etenim opus ab alio destrui et corrumpi potest. Is incorruptibilis et bonus Deus dici nequit. Sed quorsum haec! Desinite quassumus vos ipsos hujusmodi fabulis decipere, neque enim uni regno duo simul reges,

neque uni mundo duo Dii praeesse possunt, alioquin si regnum in se divisum duos accipiat reges, illud dissolvatur et concidat est necesse.

Mundus hic materialis est et corporeus, ex diversis iisque contrariis Elementis compositus. Unus autem creator omnium Elementorum et qui concordiam inter illa conciliat, Deus. Ut videntes homines non bene inter se convenire et corruptioni esse obnoxia elementa, intelligerent solum duntaxat eorum Rectorem incorruptibilem, unum et indivisum esse. Quemadmodum quatuor anni tempora unum constituunt annum, singula vero a nutu dependent Creatoris, atque praescriptum sibi ab Altissimo ordinem invariabiliter observant; ita et quatuor mundi elementa, substantiam constituunt universorum, singula tamen creatoris obediunt mandato.

Et ut quod res est fateamur, neque ea, quae vos Elementa appellatis, pro talibus haberi possunt: nam Ignis nuspianam per se et separate existit, invenitur autem in lapide, ligno, aere, et aqua, similiter aqua e tribus reliquis est composita et continetur in plantis aere et igne. Aer pelluciditate et raritate penetrat ignem et aquam et cum aqua ascendit in plantas et earum promovet incrementum. Elementa autem et cuncta creata simul licet non sentiant, observant mandata et perficiunt voluntatem creatoris, neque unquam determinatos a constitutione mundi limites transgrediuntur.

Quod si jam mundi irrationalis curam taliter gerit Deus, quanto magis mundi rationalis hominis curam habebit, quemadmodum vestrorum sapientum quidam dixit: Solem Deum matre homine natum hominibus esse propitium et ceteros quoque Septem Deos (Planetas) in officio continere. Quod si vos hujusmodi fabellis, quibus tota vestra scatet religio, fidem adhibere non piget; nos illis non eredimus, sed Discipuli sumus primum quidem magni Mosis, cum quo Deus in rubo et in monte Sinai loquutus est, et scripta illi dedit praecepta, cui se manifestavit ut immateriale et incorporeum, creatorem vero omnis materiae ex nihilo. Quoniam opus sunt manus Ejus entia universa. Habitatores coeli Angeli et habitatores terrae homines, rationalis homo et rationalis angelus. Deus autem superior coelis et Terra.

Discipuli porro sumus Ejus, qui in plenitudine temporis venit, et quem tu impio et effreni ore blasphemare non perhorres-

cis, Jesu Christi, quem filium Pantheris¹⁾ et seductorem appellas. Quae in Ipso et per Ipsum est contemnens salutem in perditionem animae tuac et totius regni tui. Utinam Vos etiam universi cum populo et potenti rege vestro, qui modo in errore et tenebris vitam vivitis, nostri efficiamini condiscipuli, et divinis credentes scripturis aeternam effugiatis damnationem et regni coelestis efficiamini haeredes.

Est igitur Fides nostra quam firmiter et immutabiliter tenemus sequens:

Qui mundum creavit Deus descendit et natus est, ut per Prophetarum praenunciatum fuerat Vaticinia ex sanctissima Virgine Maria, non secundum ordinem generationis carnalis sed virtute Altissimi, sumsit autem ex intaeta virgine corpus verum et non umbratile aut imaginarium. Verus Deus et verus Homo, ita ut neque humana in illo natura divinae, neque divina derogaret humanae. Idem autem et unus.

Idem Jesus Christus, qui mundum in corpore salvavit ex virgine natus, pannis involutus, in praesepi positus, a Magis ab Oriente stella duce acurrentibus adoratus, lacte ut infans nutritus, crevit et adolevit. anno autem aetatis Trigesimo a Joanne filio sterilis in fluentis Jordanis baptizatus; fecit signa et prodigia magna inter Judaeos, traditus a sacerdotibus et condemnatus a Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est, tertia die resurrexit et apparuit duodecim Discipulis et aliis plus quam quingentis. Et postquam quadraginta diebus conversatus cum iis fuisse, in monte olivarum in conspectu Discipulorum suorum ascendit in coelum, sedet in sede Patris, promisit scilicet iterum venturum cum potestate terribili resuscitare mortuos, justum judicare iudicium, dare praemia justis, poenas reprobis et incredulis.

Haec est fides nostra, a qua nemo nos separabit, neque Angeli neque Homines, nec gladius, nec ignis, nec aqua, nec cruciatus nec tormenta. Cuncta quae habemus et possidemus in tua sunt potestate, habes et corpora nostra, fac cum iis ut tibi libet. Si in nostra nos religione tranquille vivere sinis, nec in terris alium praeter Regem Dominum agnoscemus, nec in coelis alium Deum praeter Jesum Christum, non enim est aliud praeter Ipsum. At si post solemnem hanc fidei confessionem, aliud quid

¹⁾ Calmet Dissert. de characteribus Messiae.

ex nobis quaeris en adsumus. Corpora nostra in potestate vestra, fac quod vis indilate. Vos cruciate, nos patiemur. Vosensem tenetis, nos jugulum praebemus. Non sumus nos meliores iis qui nos praecesserunt, et qui pro hac fidei confessione bonis et vita exuti, decesserunt.

Quoniam si natura immortales essemus, et in nostra positum esset potestate, vitam ponere aut servare; tamen pro amore Jesu Christi vitam licet immortalem nihil cunetaremur ponere; quia et Ipse cum esset immortalis, tantum dilexit nos, ut vitam daret pro nobis, ut nos morte sua, a morte aeterna liberaret. Quod si jam Is propter nostram salutem, propriae non pepereit vitae, quanto magis decet nos, aliunde mortales, vitam pro Jesu Christi amore ponere, ut vitae ejus aeternae efficiamur participes. Moriamur igitur nos mortales ut mors nostra per Ejus gratiam beatam nobis pariat immortalitatem.

Tu igitur noli nos amplius hac super re interrogare, non enim est nobis foedus fidei hujus cum homine, ut puerili illud levitate frangamus, sed pepigimus illud cum Deo, quod dissolvi et frangi nequit, neque in praesentiarum neque in futurum neque in Saccula Saceculorum sed in aeternum manet.

Subscripserunt apologiae huic octodecim cum Patriarcha Episcopi et qui Synodo interfuerunt satrapae et optimates omnes, atque solemni se invicem coram Deo obstringentes juramento, vitam se antea quam fidem posituros, responsum cursori reddiderunt Regi Isdegerdi perferendum. Qui eo lecto in rabiem actus, infinitam propemodum armatorum et magorum multitudinem ad nomen Christi igne ferroque exterminandum in Armeniam misit. Qui regionem inundantes, Tempa Dei solo aequarunt, altaria everterunt, sacerdotes contrucidarunt, libros sacros igni tradiderunt, atque Ignis erectis altaribus, Armenos ignem, quem perpetuum Persae vocant, strictis gladiis adorare jussérunt, renuentes, utriusque sexus et omnis aetatis fideles innumeros, horrendos inter cruciatus et exquisita tormenta interemerunt. — Armenii tandem melius reputantes ad unum omnes interire, quam sive datam Christo fidem abjurare, sive tantam sacrorum per infideles profanationem et gentis exterminium ultro oculis cernere; sumtis armis, fortiter constanterque pro aris et focis dimicantes, exercitus Persici furorem fregerunt. Duce se glo-

riosi hujus pro religione et Patria certaminis praebuerunt plures illustris inter Principes Armeniae, gentis Mamiconae Heroes, et inter hos celeberrimi Vartanus et Vahanus sive Joannes, qui instar Machabaeorum gentem Armenam non modo a defectione a vera Fide praeservaverunt. Verum etiam in libertatem contra Tyrannorum asseruere oppressionem. Vartanus cum paucis sed fortibus viris, qui castra ejus sequuti suunt, per integros novem decem annos, virtute singulari, et fortitudine, cuius rarum in Historiis reperire est exemplum, vim potentiae Persicae sustinuit, ad extremum quadraginta duobus praeliis victor, veteranus hic Christi miles jam octoagenarius, non tam hostium virtute victus quam apostatarum quorundam perfidia traditus, a Persis, cum suis circumventus in prima acie fortiter dimicans una cum 1036 sociis Fidei, quam ad extremum usque vitae halitum defendit, invictus Martyr occubuit.

Qui post Vartanum surrexit exercitus Armenici dux, Vahanus, bello huic religionario, quod per totum regni Isdegerdis 2-di et Perosi 2-di, regum Persarum tempus ad exitum usque saeculi quinti duravit supervixit. Dictorum quippe Regum Persicorum successor Valarsaces 2. magnis ab Armeniis acceptis cladibus et strage multiplici exercituum suorum territus, ne tota ad Graecos deficeret Armenia, pacem cum Vahano Armeniisque fecit, cuius prima eaque praecipua fuit conditio: Ne quis unquam religionis causa Armenis deinceps molestus accidere prae sumserit; sed liberum illis esto avitam suam religionem exercere, Ignis perpetui altaria tollantur et sacrificuli regno excedant. Templis et Altaris Ministris suus restituatur decor et sua constet immunitas.

Insuper Vahanus Armeniae creatus Gubernator, quam sua virtute genti reddiderat pacem ac libertatem forti custodit manu, nihil eo vivente ausi Persae temerare promissorum.

C A P U T VIII.

Armeni, de Actis concilii Chalcedonensis, cui, bello Persico occupati, interesse non potuerunt, sinistre per Haereticos Monophysitas informati, illud acceptare haesitant; et in Synodo Valarsaptona tribus primis oecumenicis

conciliis adhaerent. Conciliabulum Thevinense et Manascertense concilium Chalcedonense rejicit, ex adverso Concilium Carnense et Siragavanense illud recipit.

Adumbrandae persecutionis et belli religionarii Epochae, paulo diutius ac opusculi fert ratio, capite superiori, immorari vel ideo necesse nobis fuit: quod in haec ipsa turbarum et calamitatis plena Armeniae tempora, incidisset Concilii Chalcedonensis Oecumenici IV-ti celebratio, quod item Controversiae circa dictum Concilium in Ecclesia Armena enatae, in adversis temporum illorum adjunctis suam potissimum habeant causam et originem.

Cum enim Armeniae Episcopi ob universalem rerum in Patria convulsionem, concilio Chalcedonensi interesse nequivissent, neque aliunde de actis Patrum et Definitionibus hujus concilii certam et genuinam accepissent notitiam; quid circa ejus orthodoxiam studendum ipsis esset, diu ancipites et inter se discordes variis opinionum fluctibus agitabantur. Augebat confusionem, inquit Clemens Galanus, quod Eutichetis et Dioscori emissarii et inter eos Jacobus Zanzales, monophysitarum Jacobitarum pater, ejusque sectarii, mortiferum impietatis suaे venenum apud Armenos evomentes et Syros superiores, illud eorum animis virus inflixissent; Concilium Chalcedonense Nestorianum fuisse concilium, ab eoque destrui, quaecunque SS. Patres praesertim Cyrilus Alexandrinus contra Nestorianam haeresim conscripsissent, et in tertio universalis concilio Ephesino videlicet decrevissent; quibus aliisque hujusmodi dolosis artibus, calumniis atque mendaciis perditissimi impostores illi incautos Armeniorum Syrorumque populos dementaverunt etc.: ¹⁾

In arduis his rerum et temporum adjunctis Patriarcha et Episcopi Armenorum, quos persecutio et hostilium armorum strepitus, Theologieis vacare quaestionibus non sinebant, dum certiora de gestis et Definitionibus concilii Chalcedonensis cognovissent, optimum factu censuerunt, suum de dicto concilio iudicium suspendere, atque interea Populos suos parte ab una adversus Eutichianorum praemunire fraudes, ab altera vero, in Catholicae fidei, trium conciliorum generalium Nicaeni, Constantiopolitani et Ephesini obsequio continere. Itaque anno 491. Va-

¹⁾ Clemens Galanus Conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana Part. 1. c. 10.

larsapatae Synodum, ut per temporum lieuit injuriam celebrant, cui praeter Armenos Episcopos interfuerent etiam Graeci magis ad ortum siti, nec non Iberi et Albani, atque in supra dicto sensu plura condunt deereta, quae his concludunt verbis: Nos Armeni, Graeci, Iberi et Albani ejusdem confessionis sumus in vera fide, quam tradiderunt SS. Patres tribus in Synodis.

Non obstante hac Patrum Synodi Valarsapatanae providentia et sollicitudine, quaestio de concilio Chalcedonensi, Syris potissimum Monophysitis agentibus identidem inter Armenos recrudit; aliis sacrum hoc concilium ut oecumenicum et orthodoxum recipiendum, aliis ex adverso, tanquam haereticis favens rejicendum contendentibus, nec alia Ecclesiam Armeniac exagitavit affixitque magis unquam quaestio, quam haec ipsa de Concilio Chalcedonensi.

Persae Armeniae inhiantes dominio, exortas in Ecclesia Armena discordias in rem suam vertere conati, ut gentem, quam unitate Fidei junctam, pervertere nequiverant, circa praecipua religionis suae capita in se divisam ac discordem facilius opprimarent, atque a Graecis, Persicae potentiae in Armenia aemulis, facta ab iis fidei scissione averterent, palam haereticis Eutichianis aliisque sacri Concilii Chalcedonensis hostibus favebant.

Hinc factum ut sub Persicorum Armorum influxu, in conciliabulo Thevinensi 2-do ab Abrahamo de Albaftan et decem Episcopis ibidem congregatis, nonnulla statuerentur, quibus Concilii Chalcedonensis orthodoxya in dubium vocabatur. Quae utut consideratis iniquissimis temporum illorum adjunctis, errori facti atque ignorantiae potius, quam animi pervicaciae adscribenda veniant; non parum tamen ad turbandos animos et corda simplicium pervertenda contulerunt.

Interim nationis et Ecclesiae Armenac universitas, nunquam Conciliabuli Thevinensis placita adoptavit, sed fidei catholicae et definitionibus trium conciliorum generalium, firmiter semper et constanter adhaesit, ac quotiescumque in plenarium Concilium eam convenire contigit; damnatis unanimi sententia ac rescissis praefati conventiculi actis, concilium Chalcedonense absque ulla haesitatione debita semper cum veneratione recepit.

Anno Salutis 629. Imperator Heraclius de Chosroe 2-do Persarum rege bello victor, et recuperati sancti Ligni crucis gloria insignis, per Armeniam revertens, ut novum Triunpho suo

deus, conciliatae inter Graecam et Armenam Ecclesiam concordiae, per infaustum Thevinense conventiculum turbatae, adderet, plenarium in urbe Carin, Graecis Theodosiopolis, hodie Erzerum totius nationis Concilium per ejus temporis Armeniae Patriarcham Esdram convocari et celebrari curavit, cui praeter omnes ferme Armeniae Episcopos et optimates interfuerunt conplures Praesules Graeci, atque quaestionibus controversis mensis integri spatio maturo examine discussis, conciliabulum Thevinense diris devotum, sacrum Concilium Chaleedonense unanimi consensu receptum atque decretum; ut Trisagium ad sanctissimam Trinitatem directum, sine additione Petri Fullonis caneretur, statutum praeterea ut Ecclesia Armena circa fermentatum Graeco ritui se accomodaret, calici modicum aquae infunderet, et Nativitatem Domini distincta ab Epiphania festivitate recoleret.

Non defuere tamen turbidi ingenii et fanatici inter Armenios homines, qui duce quodam Joanne Maracomensi, Synodus Carnensem, eo quod jussu Imperatoris Heraclii, atque eodem cum numerosis Graecis Episcopis praesente habita esset; necessaria in decisionibus suis libertate earuisse justoque indulgentiorem Graecis se praebuisse impio ore calumniarentur. Qui quidquid a Graecis veniret suspectum populo reddere et omnem in ritu Armeno in Graecorum gratiam factam mutationem, gravissimi instar in fidem piaculi ac sacrilegii arguere non reformidarent. Qui deum his suis conviciis co rem perduxerunt, ut in conventiculo Monascertensi anno 650. cui tamen praeter Vicarium Patriarchalem Joannem, praepostero periclitanti ritui succurrendi zelo abreptum, nullus interfuit Episcopus, Sacro-sancto Concilio Chaleedonensi anathema diceretur, omnis cum Graecis atque Iberis sacrorum communio interscinderetur, sieque infelici et scandaloso schismati, foecundae tot malorum matri initium poseretur.

Utut autem Ecclesia Armena memoriam conventiculi Monascertensis haud secus ac Thevinensis diris devoveret, ritum nihilominus in Azymo celebrandi, quem a Sancto Gregorio Illuminatore repetit, quive illum Roma a S. Silvestro Papa acceptum in Armeniam attulit, reassumsit. Ab hoc certe tempore Armenos rursus in Azyma sacra mysteria celebrosse deprehendimus, quem ritum deinceps, licet aegre id Graeci ferrent, et sexcentis ideo calumniis fidem Armenorum proscinderent, constanter

retinuerunt et tenent in hodiernum. S. Gregorio VII. Pontifice quoque, Armenos, ne ab hoc instituto ob Graecorum desisterent convicia adhortante in Litteris anno 1080 ad Gregorium Vagjaszer Patriarcham datis, ubi inter alia sic habet: „Quia cognovimus Ecclesiam vestram azymia sacrificare, et ob hoc a Graecis duntaxat imperitis, quasi de haeresi reprehendi, nolumus vos de temeraria garrulitate corum multum mirari, sed nec ab instituto desistere, scientes eorum procacitatem non modo vobis hanc velut calumniam objicere, verum etiam simili de causa, graviori vero injuria, hueusque contra S. Romanam Ecclesiam insurgere, quae per B. Petrum quasi quodam privilegio, ab ipsis fidei primordiis a SS. Patribus omnium Mater Ecclesiarum adstruitur, et ita usque in finem semper habebitur etc.¹⁾

Concilium Siragavenense generale secundum Orthodoxum anno 862 sub Patriarcha Zacharia I. habitum, acque ac Carnense Concilium Chalcedonense recipit, non recipientes anathemate ferit, impiam Nestorii atque Eutychetis haeresim damnat, et mentem suam, fidemque Ecclesiae Armenae circa Dogma duarum in Christo naturarum diserte exponit: Non abs re fuerit e canonicibus hujus concilii, nonnullos, qui huc faciunt e Clemente Galano adferre.

Itaque Canon II^{duo} sic habet: si quis non confitetur Deum Verbum ineffabili et admirabili modo substantialiter cum Carne unitum sine confusione ac sine divisione Deum aeternum esse et hominem verum, anathema sit.

Canon III. si quis non confitetur Beatam Virginem Mariam vere et proprie Deiparam esse . . . anathema sit.

Canon IV. Si quis juxta impium Nestorium asseruerit, Dei filium in viro perfecto habitasse, atque naturas seorsim ab invicem in duos filios, duo supposita, ac duas personas, alteram hominis alteram Dei separaverit, anathema sit.

Canon V. Si quis juxta Eutychetis stultitiam temere dixerit: carnem divini Verbi fuisse de coelo allatam, aut alterius quam nostrae substanciali, vel naturam divinam cum carne confusam, aut in carnem conversam, adeoque vanam reddiderit nostram redemptionem, anathema sit.

¹⁾ Conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana. P. 1. pag. 229.

Canon VI. Si quis non confitetur humanatum Dei Patris Verbum esse perfectum hominem ex duabus naturis in uno supposito et una persona compositum consubstantiale Patri secundum Divinitatem et consubstantiale nobis secundum humanitatem, anathema sit.

Canon VII. Si quis Sanctam Trinitatem passibilem dixerit, aut crucifixum, vel Filium non carne sed Divinitate passum, anathema sit.

Canon VIII. Si quis non confitetur Deum Verbum ac Dominum nostrum Jesum Christum sanctum, fortem et immortalem pro nostra salute secundum carnem crucifixum ac misericordiam humano generi largientem, quique hostia simul et Sacerdos tollat peccata mundi, anathema sit.

Canon XIII. Si quis Chalcedonensem sanctam Synodum, aut alias eam subsequentes, videlicet: Quintam, sextam et septimam concordes et consentientes cognoverit doctrinis Apostolorum et Prophetarum et trium Sanctorum praecedentium Conciliorum, et temere nihilominus presumserit easdem Synodos anathematizare, aut calumniose dicere fuisse turpi Nestorio consenteas, sciat hujusmodi anathema in ipsum cadere, cum scriptum sit: Qui innocentem execratur, execratur animam suam et in caput sui ipsius execratio revertetur quin etiam anathema ipse sit etc. In sequentibus anathemate feriuntur Conciliabula Thevinense et Monascertense, et nonnulla circa mores et disciplinam statuantur.¹⁾

Canones hi recta Patrum Armeniorum sensa circa praecipua fidei Dogmata, per ejus temporis haereticos in quaestionem vocata abunde comprobant, ex iisdem discimus; Armenos duas in Christo, sensu perfecte catholico profiteri naturas nunquam dubitasse quamquam more apud eos antiquitus recepto, unam quandoque dicerent naturam Verbi incarnati. Verum quare et quo in sensu id dicerent erudite non minus ac eleganter exponit S. Nierse Ghelajensis in Dogmatica sua Epistola ad Alexium II. Manuelis Comneni generum data. „Erat autem ait Galanus l. c. P. 1. p. 239. Nierse hic, orthodoxus Patriarcha, quem Armenia universa ut sanctum illius Ecclesiae Patrem et Doctorem agnoscit . . fuit Poeta sacer, et hac quidem facultate adeo insignis, ut

¹⁾ Clemens Galanus Conciliationis Ecclesiae Armenae P. II. T. 1. Quaest. 3.

celebrioribus meo iudicio vel Graecis vel Latinis poetis in suo coaequandus sit idiomate . . . Ille igitur Ecclesiae Armenae doctor in memorata Epistola ad Graecorum objectionem: cur ergo unam naturam dicitis? respondet: Dicimus unam naturam in Christo non per confusionem secundum Eutychetem, neque per diminutionem secundum Apollinarem . . sed pro una personalitate, quam et vos dicitis in Christo, quae vera est, et eam nos utique confitemur, cui tamen simile, imo idem est quod nos dicimus unam naturam. Non enim id dicimus haeretico sensu, quod inde patet; dum enim verbo confitemur unam naturam, non in ipsa cessamus, sed duarum quoque proprietates naturarum ostendimus. Nam una natura non propter aliud dicitur a nobis, nisi pro indivisibili et ineffabili unione Verbi et carnis. Non recusamus dicere etiam duas naturas, cum haec non de divisione sint dicta secundum Nestorium sed ad demonstrandam inconfusionem contra haereses et Eutychetis et Apollinaris. Itaque si dicitur unitas propter inseparabilem et indivisibilem unionem dicitur et non propter confusionem, si dicitur Dualitas non propter divisionem dicitur, sed quia duae naturae in Christo inconfusae sunt et invariabiles, utrumque ergo est intra terminos orthodoxae veritatis.

CAPUT IX.

Concordia inter Ecclesiam Graecam et Armenam stabilita in Synodo Tharsensi, brevi dissolvitur. Armeni relictis Graecis, adhaerent sedi Apostolicae Romanae. Summi Pontifices Patriarchas Armeniae variis honoribus et praerogativis ornant, atque antiquos Ecclesiae Armenae ritus et consuetudines confirmant. -- Armeni in concilio Sisensi et Adanensi unionem cum Ecclesia Romana renovant.

Negotium conciliationis Ecclesiae Armenae cum Graeca, quod Patriarcha Nierses Ghelajensis consilio et opera Michaeli Comneni feliciter inchoavit, sed morte praeventus perficere non potuit; in effectum perduxit ejus in Patriarchatu successor Gregorius Degha in Synodo nationali anno 1179 Tharsis celebrata, cuius praecipuum organon et lumen exstitit S. Nierses Princeps de Lampron Archiepiscopus Tharsensis. Doctor eximius, qui prolixo et eruditio sermone Synodali Doctrinam Ecclesiae Armenae, circa mysterium incarnationis Verbi exposuit, dictae Ecclesiae orthodoxiam contra criminaciones fanaticorum quorundam defendit. Puneta controversa tanta cum moderatione et sapientia per-

tractavit, ut nihil Graecis desiderandum relinqueret, quominus dextras Armeniis darent. Itaque exoptata concordia cum magna animorum consensione et non minori Regis Armeniae Leonis et Imperatoris Manuels Commeni gaudio, Graecam inter et Armeniam Ecclesiam et nationem iniretur.

Verum tanto labore conciliata pax non diu stetit, brevi enim veteres inter utramque Gentem inimicitiae recruduerunt. Causae dissensionis politicae aliae, aliae Ecclesiasticae erant naturae. Illarum praecipua erat: quod Armeni in regno Armeniae minoris recens condito, supremam Byzantinorum potestatem agnoscere nollent.

Harum vero, quod Graeci ritum Armenum antichristianum dicerent, Armenos, qui forte ad se transiissent, rebaptizarent; et sexcenta alia in ritus et nationis contumeliam agerent. Quibus rebus factum, ut Armeni tantam adversus Graecos conciperent aversionem, ut omnem cum illis intercederent sacrorum communionem, nec amplius reconciliarentur; praevalente praesertim apud Graecos in dies Phocii et Caerulei Schismate, quod Armeni nunquam probarunt.

Igitur Graecis relictis ad Latinos se convertunt Armenii qui iisdem temporibus variis in orientem susceptis expeditionibus inclauerant. Admirabili sane divinae providentiae opere factum fuerat, ut sedes Patriarcharum Armeniae, postquam temporum iniquitate, per alia et alia loca migrasset, hoc, de quo agimus aevio, Siside Ciliciae urbe et Provinciae regni minoris Armeniae esset. Dum enim reges Armeniae, cum Principibus Christianis, cruce signatorum Ducibus, pro recuperatione Terrae sanctae, adversus Christiani nominis hostes, armorum nectunt societatem; Patriarcharum cura omnis et sollicitudo eo erat directa, ut Unionem inde a temporibus S. Gregorii Illuminatoris per orthodoxos Patriarchas et Synodos nationales, cum sede Romana constanter professam renovarent. Itaque situ ipso atque opportunitate locorum adjuti, suam erga sedem Apostolicam devotionem, obedientiam et subjectionem per Litteras et Legationes contestantur. Romani Pontifices, quibus laudabile hoc Patriarcharum Armeniae erga sedem S. Petri studium pergrata non accidere non potuit. Armenos vicissim paterno favore et benevolentia prosequuti. Regi Armeniae coronam et Vixillum; Patriarchae Pallum, annulum aliaque mittunt insignia Pontificia.

Innocentius III. Anno 1195 Gregorio VI. Armeniae Patriarchae inter cetera scribit: „Ex eo te radicatum in fide catholica et esse catholicum, non tam nomine, quam merito experimus, quod Apostolicae sedis Magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium Matrem et Nos caput universorum fidelium confiteris, sicuti ex tuarum nobis innotuit serie litterarum . . Gaudemus ergo non modicum, quod in fide Catholica perseverans, circa Nos piae geris devotionis affectum et filium te esse Apostolicae sedis innuis, dum Eam esse matrem omnium protestaris, recognoscens a Nobis magisterium Ecclesiasticae disciplinae, quam etsi receptam longo tempore prius, ex parte tamen per ven. Fratrem nostrum Moguntinum Archiepiscopum, Episcopum sabinensem, unum ex septem Episcopis, qui Nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt suscepisse te gaudes et desideras observare. Fuit autem et est magnae tuae devotionis indicium, quod eundem Archiepiscopum magnifice recepisti et curasti non modicum honore; sicut et tuae litterae continebant, et ipsius Nobis relatio patetfecit. Monemus igitur Fraternitatem tuam et exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in devotione sedis Apostolicae firmiter perseveres.

Altero Brevi Apostolico idem summus Pontifex praefato Patriarchae Pallium mittit et scribit: super eo autem quod a Nobis per tuas litteras postulasti ut Fraternitati tuae pallium destinemus, annuere tuis desideriis cupientes, per dilectos filios Godfredum tituli S. Praxedis, et Petrum tituli S. Marcelli Presb. Card. Apostolicae sedis Legatos, quos in terrae sanctae subsidium destinamus, pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, de corpore S. Petri sumptum transmittimus, tibi ab ipsis vel eorum altero juxta formam solitam, quam sub Bulla nostra dirigimus, solemniter conferendam etc. apud Galanum P. 1. p. 355.

Gregorius IX. Romanus Pontifex, Constantino 1. Armeniae Patriarchae 1239 praeter pallium mittit Mithram, stolam et annulum cum Litteris sequentis tenoris. „Ut sacrosanctam Romanam Ecclesiam utpote caput omnium fidelium et Magistrum, tanquam Matrem filius reverenter amplectens, B. Petro et Nobis qui eidem Ecclesiae dispositione divina, licet insufficientibus meritis praesidemus, nostrisque successoribus canonice substituendis obediens, semper fidelis et devotus existas, quibusdam peti-

tionibus per nuntios tuos ex parte tua Nobis exhibitis, ad gratiam exauditionis admissis, petitum a te pallium, nec non Mitram, stolam et annulum in signum Apostolicae dilectionis et gratiae, ac tuae devotionis indicium Fraternitati tuae per nuncios mittimus antedictos, alias tibi velut honorabili membro Ecclesiae praenotatae, in quibus eum Domino poterimus, propiti et favorabiles affuturi. Datum Later. VI. Idus Martii 1239.

Idem summus Pontifex in Litteris ad Haytonem I. Armenie regem directis, Ritum Ecclesiae Armenae et consuetudines confirmat. Vestris (inquit) supplicationibus inclinati rationabiles consuetudines Vestras a tempore felicis recordationis B. Silvestri Papae praedecessoris nostri, et S. Gregorii Catholici ejusdem regni qui contemporanei exstisset dieuntur, obtentas et inviolabiliter observatas, quae SS. Patrum decretis et canonicis non obviant institutionibus, vobis et per vos eidem regno Apostolica autoritate confirmamus.¹⁾

Bonifacius VIII. anno 1293. Gregorium VII. Patriarcham, obedientiam sedi Apostolicae per Legatos exhibentem, et auxilia contra Saracenos implorantem, paternae dilectionis affectu amplexatus optatam pollicetur opem, et ut populum ille suum ac clerum ad Romanae fidei confessionem adducat magnopere hortatur, haec scribens: „Ex litterarum tuarum tenore et relatu tui nuntii, qui Nobis praesentavit easdem, Apostolatui nostro innuit reverentia et devotio, quam geris ad Nos et ad sanctam Romanam Ecclesiam matrem Ecclesiarum omnium et magistrum innotuit enim vera et pura professio, qua Nos caput universalis Ecclesiae orthodoxae, successorem Petri, Vicarium Jesu Christi et universalis Dominici gregis pastorem humiliter recognoscis. Hortamur insuper et rogamus attente, ut studeas Armenorum Clerum et populum in fide quam praedicta sancta Romana praedicat et tenet Ecclesia, per te et alios informare, ut purgato omni vetustatis errore in fide ipsa sint stabiles et in opere efficaces etc.

Non defuit piis summi Pontificis votis Gregorius. Hac enim de illo Le Quien ex Armenis hausta fontibus refert: „Dominus Gregorius Sisensis sedit annos 14. Hie fuit Deiloquus Doctor, qui multa sacra cantica in Armeno concinnavit, plures SS.

¹⁾ Le Quien Oriens Christianus Tomo 1.

Martyrum Historias ex Romana, Graeca et Syriaca lingua in suam transtulit, et Armeniorum Ecclesiam suis institutionibus illustravit. Illam denique ut cum magna Romanorum Ecclesia componeret, quod ab ipso petierat Romanus Pontifex, multum saepe studii opera eque navavit. Quapropter et concilium ad id perficiendum cogere sagedit.⁴

Verum Gregorius VII. e vivis eruptus, quod Siside convocaverat concilium, ejus in sede successor Constantinus III. celebravit. Cujus Synodi acta per extensum adducit Galanus. L. c. P., 1. c. 28.

In plenaria hac Synodo natio Armena profitetur sinceram et firmam Ecclesiae suae, cum omnium Ecclesiarum matre et magistra Romana unionem et concordiam, recipit prima septem oecumenica concilia, anathematizat haereses, approbat autem et confitetur quaecunque circa fidem et mores in iis sanciuntur. Confitetur duas in Christo naturas et duas operationes atque execratur memoriam et acta conciliabuli Thevinensis et Monascertensis. Ordinatur porro ut ad avertendam suspicionem et praecavendum scandalum Trisagio addatur vox „Christe“ Qui crucifixus es pro nobis, statuitur ut calici sacrificii modicum aquae infundatur. In celebratione festorum: Nativitatis, Epiphaniae, Annunciationis et Purificationis consuetudo Ecclesiae Romanae observetur. In vigiliis aliisque jejuniis salva a carnibus et lacteiniis abstinentia, piscibus et oleo uti liceat. His accedunt decreta de Reformatione, disciplina et correctione morum cleri et populi.

Canones Concilii Sisensis, quantum quidem illi unionem cum Ecclesia Romana, et Dogmata respiciunt, magna cum animorum consensione et reverentia recepti observatique sunt ab omnibus, sed non ita Decreta quae reformationem ritus et disciplinae pro scopo habent. Offendit praesertim novitas vocabulorum et mutatio in ritu, supervacaneam dicebant additionem vocis „Christe“ in Trisagio cum aliunde constaret Ecclesiam Armeanam additamentum: Qui crucifixus es pro nobis, nunquam in sensu Petri Fullonis de Sanctissima Trinitate, sed de Christo intellexisse. Displiebat infusio aquae in calicem atque contendebant innovationem hanc, memoriae S. Gregorii esse injuriosam, a quo ritum in pane azymo et vino sacrificandi accepissent. Voci ferabantur ritui et disciplinae Ecclesiasticae per novum in Festorum celebratione ordinem, et mitigationem in observatione jeju-

niorum grave vulnus influetum. Cum igitur ex dictis causis tumultus non exigui in orientalibus magnae Armeniae partibus oriuntur et pseudo-magistri nonnulli occidentales Armenos, nimiae in Latinos quibus convivebant, ritumque latinum conniventiae apud suos arguerent, Patriarcha Constantinus III. aliud Adanae anno 1316 celebravit concilium nationale, in quo acta Synodi Sisensis confirmata, fides orthodoxa et arctissima cum S. Romana Ecclesia et sede apostolica unio rursus professa, Errores damnati. Acta hujus concilii vide apud Galanum conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana P. 1. c. 29.

Laudavit hunc Constantini conatum Christi in terris Vica rius Joannes XXII. atque in suis ad Ossinum Armeniae Regem anno 1318 exaratis Litteris, gratias summas agit Deo qui puritatem suae Fidei in iis regionibus Armeniae, Saracenorum erroribus circumseptis conservet.

Constitutionibus Concilii Adanensis conformaverunt se pleraque Ecclesiae Armeniae minoris, at major cleri populique Armenici pars in Armenia majore perstitit in praxi antiqua. Unde non levis orta est ritus difformitas, cum alii vino calicis aquam miscerent, Festa et Jejunia cum Latinis servarent atque Trisagio vocem „Christe“ insererent, Alii ex adverso, numero longe majori, nihil in ritu innovandum sed traditionibus Patrum atque consuetudinibus firmiter inhaerendum asseverarent. De cetero eadem in sedem Romanam reverentia, eadem Ecclesiae, iisdem libri liturgici, diversitas in externis tantum obtinebat ritibus, quin ideo pax et charitas dissolveretur.

CAPUT X.

Beatus Bartholomaeus Bononiensis in Armenia majore congregationem sic dictam unitorum ordinis Fratrum Praedicatorum fundat, celeri incremento per Armeniam propagatam. Fratres nonnulli dictae congregationis abrogato Armeno ritu, latinum in omnibus, si solam excipias linguam, ritus apud Armenos introducere conantur. Turbae exinde non leves in Ecclesia Armenia ortae, eloquio Innocentii VI. Pontificis et opera Jacobi Patriarchae componuntur. Armeni ad concilium Florentinum vocati, per suos Legatos comparent. Decreto unionis Ecclesiae Graecae cum Latina subscrubunt.

Joannes XXII. Romanus Pontifex, quo Armenos majoris Armeniae Persiae tum ditionis populos, arctius sedi Romanae jungeret, Beatum Bartholomaeum Bononiensem ex ordine Praedicatorum sub annum 1318 ab Ipso in Episcopum Maraghensem consecratum mox ad Naxivanensem Archiepiscopatum translatum in Armeniam misit, cui se brevi celebris quidam coenobita et Doctor Armenus Isaias nomine cum trecentis septuaginta Discipulis suis socium adjunxit, tumque contigit, ut institueretur congregatio Fratrum unitorum assumto ab iis omnibus habitu Dominicani instituti, emissaque professione vitae regularis sub regula S. Augustini et Fratrum Praedicatorum constitutionibus, ut videre est apud Galanum item in Historia virorum illustrium Dominicani ordinis T. 2. L. 1. p. 108. Cum autem (inquit Benedictus Papa XIV.) Isaiae Discipuli unam noscerent Armenianam Linguam, praeterca nullam, et plenam ceteroquin cum Dominicanae familiae Religiosis, unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum referunt praeccitati Historici ut Regulæ, statuta, Breviarium et Missale ordinis in linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus nobis proximis institisse Patres Armenae Provinciae ordinis Praedicatorum, quo sibi licet typis mandare sua Breviaria ac Missalia e Latino in Armenum idiomam translata, annuitque precibus congregatio Romanae universalis Inquisitionis habita octavo Idus sept. 1713. ¹⁾

Fundata a Beato Bartholomaeo in Armenia Fratrum unitorum congregatio, magna cepit in gremio nationis incrementa, pluraque possedit coenobia non solum in Armenia et Georgia, verum etiam in Taurica Chersoneso, in eius principi urbe Theodosia universale habuit studiorum collegium.

Congregatio haec ad extirpandos errores et promovendam inter Armenos unionem multum profecto contulit, plus multo collatura, si a primitiva instituti sui ratione non descivisset, sed unionem promovisse contenta, de cetero ritus et consuetudines nationis quarum tenacissimi sunt Armeni intactas reliquisset. Verum nonnulli Fratrum dicti ordinis primo successu animati et zelo abrepti, populum hortabantur, ut in orthodoxae fidei signum ac perpetuae et indissolubilis cum sede Romana unionis argumentum, abrogato ritu Armeno traditionibus patriis et consuetudini-

¹⁾ Benedicti XIV. Constitutiones selectae. Const. 29. Decembr. 1756.

bus Latinum in Armenico sequeretur idiomate, imo nec his contenti alii, scrupulum intuitu valoris Baptismi ab Armeniis collati, et ipsius sacrosancti missae sacrificii Armeno ritu celebrati in animos simplicium injecere, fideique populi illudere non reformati darunt; igitur Laicos ad se accedentes rebaptizare, sacerdotes ritu latino denuo consecrare et conplura alia in contumeliam ritus facere. — Beato Bartholomaeo, qui opus missionis suae in charitate adimplebat, amarum hunc sociorum zelum nequicquam improbante.

Dici vix potest, quot inde turbae, quot scandala sint in gremio nationis exorta, et quantum infastus mediorum delectus, atque immoda, humano magis ducta affectu, quam ratione recta, ideoque modum tenere nescia, cuncta innovandi libido, bona utique et salutari causae nocuerit. Ecclesia Armena, quemadmodum perhibet Mechitar Abaranensis ex eadem FF. Unitorum congregatione, scriptor saeculi XIV., trifariam divisa in propria viscera sacviciabat, dum mutuis partes convitiis invicem proscindarent, quaelibet earum se solam Catholicam et Orthodoxam crederet, reliquas haereticas compellaret, ac cane pejus et angue fugeret.

Alii scilicet contendebant; se inde a temporibus S. Gregorii Illuminatoris et S. Silvestri Papae unitos semper atque obedientes S. Romanac Ecclesiae perstisset, eandem in hodiernum cum Ecclesia Romana fidem, eadem salutis media tenere, in his igitur nihil quod mutandum reformandumque esset invenire. Quod si vero, ajebant: ritus nostros nobis adimere vultis, actum agitis; impossibile enim nobis est Patrum antiquare traditiones et avitas relinquere consuetudines. Quod a S. Gregorio Illuminatore, quod a SS. Interpretibus, Patribus et Doctoribus Ecclesiae nostrae accepimus, hoc tenemus, his nihil addimus, nihil demimus, sed nec ab iis recedimus.

Alii inhaerentes constitutionibus Concilii Sisensis et Adanensis, in nonnullis quidem, ut suo loco vidimus, latinizabant, in aliis vero morem et ritum refinebant veterem nationalem.

Demum alii ordinem Praedicatorum Provinciae Naxivanensis Fratrum unitorum ingressi, aut eorum placita amplexati, si solam excipias linguam, ritu in omnibus utebantur latino.

Graves hae et magno cum animorum aestu agitatae quaestiones circa ritum, tristes omnino apud gentem, cuius vita politi-

ea intime conjuncta cum religiosa erat, habuere consecutiones. Turbas exinde enatas nec Regis Armeniae Leonis V. auctoritas nec Patriarchae Jacobi 2. paterna monita sopire valuerunt. Malum auxit, quod hic idem mitis de cetero ingenii et pacis studiosus Patriarcha, eo quod Fratribus congregationis unitorum, plus justo favere visus fuisset, a tumultuante clero sede sua sit dejectus, et nonnisi post evolutos 14 annos, postquam instituto anno 1354 Avennionem ad Innocentium VI. itinere, ab eodem summo Pontifice edoctus, intellexisset, non eam esse sedis apostolicae in constituendis apud exterias gentes missionibus, intentionem, ut venerandi Ecclesiarum orientalium ritus, ab Ecclesia approbati supprimantur, sed ut sublati erroribus et Schismate, in diversitate linguarum et rituum Fidei constet apud omnes, qui per orbem Christiano censentur nomine unitas, — mortuo qui eidem interea subrogatus fuerat, Patriarcha, sedi suae sit restitutus.

Graviora eadem de causa experti sunt, duo primi e familia Ducum Lusignana, Armeniae minoris Reges, Constantinus III. et Guido, qui Leoni V. ultimo stirpis Rupenianae Armeniae Regi, quem materno sanguine contingebant in regnum successerant. Hi infausto sane consilio, regiae aulae et populi mores ac instituta, in civilibus non secus ac in Ecclesiasticis reformare, et omnem vitae rationem ad occidentis exigere genium temere adgressi, alter quidem ab exercitu, alter vero ab optimatibus interfici sunt.

Jacobi in Patriarchatu successor, Mesrobes, ad componenda dissidia, nationi aliunde afflictae tantopere perniciosa, et restituendam in ritu — salva fidei unitate, uniformitatem, celebrata anno 1361 Siside synodo, nonnullos ritus et mores recentius introductos, quibus animi Armeniorum magis offendebantur abrogavit.

Pace hoc modo inter dissidentes conciliata, Armeni de recta sedis Apostolicae intentione edocti, crevit in dies eorum erga sedem Apostolicam devotione et adhaesio. Cujus cum alias semper, tum potissimum occasione celebrationis Concilii Florentini luculentum dederunt specimen; vocati enim per Pontificem Eugenium IV. in persona Patriarchae Constantini VI. ad concilium Florentinum Armeni, cum ex majore et minore Armenia, per continua inter successores Tamerlani bella horrendum in modum devastata ire non possent, per oratores Caffa ditionis Genuensis

in Chrimaea Urbe, missos anno 1439 comparuerunt. Qui decretum unionis cum Graecis feliciter perfectae acceptarunt et nomine Ecclesiae Armenae subscriperunt. Accessio Armenorum, quos Eugenius in sua ad totius orbis Episcopos data Encyclica, gentem magnam atque illustrem nominat, ingenti Patres Concilii cumprimis vero ipsum Christi Vicarium gaudio affectit. Qui oratores Armenorum et Universam Nationem singularibus paternae benevolentiae et affectionis significationibus prosequutus est, atque in signum perfectae ac perpetuae unionis Decretum memorabile „Exultate Deo“ quod nomine instructionis Eugenii IV. ad Armenos apud Theologos passim notum est, edidit, quod Oratoribus, Patriarchae et Ecclesiae Armenae perferendum consignavit. In laudato Decreto sapientissimus Pontifex antiquos ritus, instituta et laudabiles Ecclesiae Armenae consuetudines non modo intactas reliquit: sed novis insuper Ecclesiam Armenam et ejus antistites juribus quibusdam et privilegiis decoravit. Signanter Caffensi ritus Armeni Episcopo, jus insignia muneris sui publice deferendi, et Episcopalem in ritus sui populum Jurisdictionem exercendi, quod dictae urbis latini ritus Episcopus in quaestionem vocaverat, Authoritate Apostolica confirmavit. Verba toties laudati Decreti, quae hue faciunt, sunt: sane post conclusam solemnitatem in sessione publica promulgatam proximis diebus glorioissinam populo Christiano, Armenorum cum Romana Ecclesia unionem, cum dilectos filios ipsorum Armenorum Oratores, qui ea de causa apud nos erant, diligenter interrogarenuis de modis, qui hactenus apud eos, et praesertim in Civitate Caphensi in qua ipsorum magna multitudo convenit observati fuerunt, aliqua ex ipsorum relatione intelleximus, circa quae praesentium tenore debitum et conveniens remedium decrevimus adhibere. Imprimis namque cum Venerabiles Fratres Episcopi Caphenses, qui hactenus pro tempore fuerunt, Episcopos Armenorum tanquam Schismaticos et haereticos prohibuisse dicantur deferre Mitram in processionibus generalibus, quae in ipsa civitate fiebant, et nullo in loco nulloque tempore benedictionem cum signo erucis etiam ritus sui populo dare permiserint. Nos attendentes quod licet Civitas illa, unicam sicut ceterae habeat Dioecesim, tamen ipsa Armenorum gens sedibus propriis pulsa ibidem in maximo habitat numero, volumus et praesentium tenore auctoritate Apostolica mandamus, quod Episcopi Armenorum

qui in futurum pro tempore erunt, in Processionibus et aliis quibusunque actibus publicis Mitram sicut Caphensis Episcopus per dictam Civitatem et Dioecesim deferre possint et valeant.¹⁾

Acceptarunt Armeni per totum Orientem, cum debita, ut par erat, reverentia Decreta Concilii Florentini, neque legimus quemquam apud illos repertum fuisse Marcum Ephesinum, qui vias Domini rectas subvertere, et divinum unionis opus impio conatu interturbare ausus fuisse. Mansit itaque Ecclesia Armenia in hac Fidei cum Ecclesia Romana unitate et erga sedem Apostolicam obedientia etiam posterioribus saeculis, quemadmodum id ex Historia gentis et ex obsequiosis Patriarcharum Armeniae ad summos Pontifices datis Litteris collegimus.²⁾

Quapropter minime dubitamus sententiae Clementis Galani subscrivere dum haec de Ecclesia Armenia effatur: Neque dici potest quod simpliciter sit haeretica, (haec Ecclesia) non solum quia plerique Praesulum et Antistitum ejus recte sapiunt, et corde catholici sunt, sedique Apostolicae obsequentes; verum etiam quia in ultima ejus synodo Generali videlicet Adanensi, perinde ac in praecedentibus orthodoxe professa est, et cum Romana Ecclesia se ipsam univit, quod etiam praestitit et confirmavit per suos Oratores in concilio Florentino Anno salutis 1439. nec subsequutus est alius conventus, in quo priorem sententiam retractaverit, cum exinde suo rege privata et sub infidelium Dominio constituta, nullam aliam Synodus celebravit. Unde credendum potius est, si ad novam unquam convenerit Synodus ab exemplo suorum Patrum recessuram non esse.²⁾

Quod nihilominus post toties renovatam, tamque solenniter contestatam cum Sancta Ecclesia Romana Unionem maxima pars Armenorum adhuedum in Schismate vivat, plures assignari possunt causae, sufficiat hoc loco nonnullas earum indigitasse.

a). In tristi statu, in quo proprio rege et regno amisso, ab aliquot saeculis existunt Armeni, eorum Patriarchae et Episcopi, etiam si de cetero recte ipsi sensissent, cordeque sedi Apostolicae fuissent uniti; hanc tamen unionem externis signis manifestare obmetum infidelium Dominorum suorum non potuerunt. Qui omnem subditis suis cum populis et principibus Europaeis nexum pree-

¹⁾ Vide Rajnaldum ad annum 1564 et Le Quien Oriens Christianus.

²⁾ Conciliationis Part. 2. Quaest. 1. Art. 8.

sertimi vero arctius cum sede Romana commercium anteactis temporibus, sub capititis poena prohibuerunt.

b). Altera causa est, magna qua populus et ex parte etiam clerici in rebus Fidei laborat ignorantia; qua fit ut quibus semel imbutus est erroribus, eos aegre admodum dediscat, adeo a teneris assuescere malum est; et revera effectus conciliabulorum Thevinensis et Manascertensis, toties licet in generalibus Ecclesiae Armenae Synodis fulminatorum, hodie in populo isto observantur. Hoc tamen non obstat, quominus se Orthodoxos esse, atque omnino candem fidem tenere credant, quam s. Gregorius Illuminator et ceteri Sancti Patres et Doctores sunt professi. Dociles quidem se praedicationi Verbi Dei praebent, quemadmodum Clemens Galanus, Villotte aliquique qui inter eos versati sunt Missionarii perhibent, at vero similes sunt iis, qui verbum Dei audiunt et continuo cum gudio accipiunt illud, sed nisi adsit, qui plantam tenellam tempore opportuno riget et foveat, altas apud eos radices non figit, sed continuo exarescit.

c). Demum ingens et propemodum infinita Armenorum in s. Gregorium gentis Apostolum devotio et illimitata veneratio erga omne id, quod a tanto Benefactore traditum acceperunt. Hinc nimia illa qua patriis ritibus ac traditionibus, moribus ac institutis adhaerent tenacitas, hinc vicissim anxia illa, qua eorum retinendorum desiderio et amittendorum metu tenentur cura ac sollicitudo explicanda venit. Et ut quod res est fateamur: Quorundam Missionariorum et aliorum inferioris ordinis Ecclesiasticorum virorum agendi ratio et zelus amarus, dictum Armenorum, ritum et instituta sua amittendi metum nonnisi auxit, et sollicitudinem ea illibate conservandi majorem in modum in illis excitavit.

Reperti quippe sunt inter Missionarios nonnulli, qui spiritum Evangelii Christi et mentem sedis Apostolicae, omnes gentes et ritus pari affectu complectentis, non bene assecuti, opus Deo et Angelis gratum, sedi Apostolicae perquam acceptum se facturos existimabant, si Armenum, unionem forte professum ad proprium ritum deserendum et latinum amplectendum permovissent; nescientes aut non attendentes, quantum indiscreta hac agendi ratione, operi, ad quod missi fuerant, detrimentum adferrent, quantum ad obfirmandum in errore Schismaticorum animos conferrent. Qui arctiorem cum Ecclesia Romana unionem, non alio

magis argumento exosam apud suos reddere neverunt, quam similium latinizantium exemplo, quos Francos; id est Latinos, effectos, a corpore nationis segregatos, a Fide s. Gregorii deficientes ac apostatas nominare solent. His accedit et illud: Quod Armeni Catholici in Imperio Ottomanico, libero religionis exercitio antea destituti, Ecclesias Patrum Societatis Jesu et Ordinis s. Dominici aliorumque Religiosorum frequentarent, licet severe id per Regimen prohibitum esset. Ideoque infinitas hanc ob rem calamitates et graves sane persecutions, tum ab Armenis Schismaticis tum a civili regimine sustinere eogerentur. Nota est persecutio, quam hoc ipso quo vivimus saeculo, Catholici Armeni ex praedicta causa Constantinopoli passi sunt. Verum utrique malo divina favente clementia, occurrit paterna sedis Apostolicae in Ecclesiam et gentem Armenam benevolentia. Primae quidem saluberrimis instructionibus deputatis per Orientem Missionariis, intuitu conservandorum Rituum Orientalium datis. Alteri autem, sua potissimum apud sublimem Portam opera atque intercessione, libero religionis exercitio pro Catholicis Armenis obtento, et constituto iisdem propriae gentis et ritus Archiepiscopo Primate; Novissime vero quinque aliis per Asiam minorem creatis ritus Armeni Episcopis, ejus institutionis lactissimi jam jam conspiciunt fructus et benedicente Deo abundantissimi deinceps sperantur.

CAPUT XI.

Armeni in Chrimaea in fide persistunt, at qui capta a Tureis regione sedes in Poloniam et Moldaviam transtulerunt in Schisma relabuntur. Ex his primum Armeni Poloniae, serius Armeni Moldaviae in Transsilvania, quo se interea continua persecutio Moldavorum pertaesit, cum suo Episcopo Menna receperant, saera catholica profitentur. Labores Apostolici Oxendii Verziresky in conversione Armenorum Transsilvaniae.

Ditionis Genuensis in Chrimaea, urbisque ejus principis Theodosiae Saeculo XIV. et XV. incolae Armeni, quorum Armenos Transsilvanos posteros esse, suo loco probavimus Catholicam veritatem, quam in concilio Florentino professi fuerant, deinceps quoque mutatis licet peninsulae illius dominis constanter retinue-

runt et tenent hodieum posteri eorum, tum hi qui in solo natali permanerunt, tum illi qui anno 1779 jussu Imperatricis Catharinae, ad promovendam mercaturam, ad interiora vastissimi imperii russici translati, varias in assignatis sibi locis urbes, quas ferme soli incolunt, inter eas, florentem mercimoniis ad Tanaim novam Nachiesevan et ad Thyram Catharinaslaviam condiderunt.

At qui everso anno 1475 per Turcas Tatarosque Genuensium in Chrimaea imperio, Occidentem petierunt Armenii, primum quidem in Polonia dein in Moldavia, praexistentibus in utroque regno, aliis item ex Oriente supervenientibus popularibus suis consociati, in antiquos rursus relapsi sunt errores.

Sciendum enim est Leopolitanos et ceteros per Poloniam Armenos, qui Catholicum sui ritus Archiepiscopum Leopoli habent, anno primum 1652 opera Nicolai eorum Episcopi, Patriarcha Ecsmiadsinensi Philippo ejus conatibus favente, ad obsequium sanctae sedis rediisse. Quam unionem ut roboret et stabiliret Pontifex Alexander VII. Collegium pro Armenis anno 1662 Leopoli, sub cura et directione Patrum Theatinorum, sumtibus camerae Apostolicae instituit, atque Clementem Galanum dicti ordinis virum, linguac armenicac apprime gnarum, ad instituendos in theologicis disciplinis juvenes eo misit; auxit collegium anno 1666 Urbanus VIII. atque Romae simile erexit pro Armenis Orientalibus.

Armenorum Transilvanorum Majores, tempore, quo haec popularium suorum in Polonia conversio contigit, vicinam inhabitabant Moldaviam, Bucovinam et Valachiam, ubi proprium habebant sui ritus Episcopum schismaticum. Quinquam non desunt documenta, quae fidem faciant, Leopolitanos Armeni Ritus Praesules jurisdictionem quamdam metropoliticam in Armenos Moldaviae et Valachiae exercuisse, hanc tamen ejus efficacie nequam fuisse, quae, ad externe et a Sacris Romanis alienae ditiosi fideles in errore versantes ad rectum tramitem fuisse traducendo ex effectu concludimus. Hi enim nonnisi serius in Dacia sacra catholica sunt amplexati.

Neque tamen existimandum est, Armenos in Moldavia et Bucovina, eo quod idem cum terrae Principe et populo sectarentur schisma, prospera magis usos esse fortuna. Princeps enim et populus Moldaviae, Armenos, quod lingua, ritu, moribus aliisque institutis different, instar Haereticorum tractarunt. Quare avitis

eos exuere et Graecorum imbuere moribus omni virium nisu et contentione, adhibitis etiam poenis atque tormentis adlaborarunt. Illi ex adverso bonis et vita, quam ritu privari maluerunt. Exstat apud me libellus e sacculo XVI. in quo Mennas quidam, Diaconus carmine sanc lugubri ingentem describit calamitatem, quam anno 1551 Stephanus Moldaviae Vojvoda, suae ditionis Armenis, ex supra dicta causa intulit, templa et coenobia Armenorum bellicis tormentis eversa, vasa et ornamenta sacra direpta, sacri et profani libri flammis dati, tum manus personis injectac; Episcopus, Sacerdotes et Monachi Armenorum intercepti, atque evulsis prius inter furentis populi insultus et plagas, barbis vestimentis spoliati in careceres conjecti, residuus utriusque sexus populus vi rebaptizatus, cultu externo et vestitu mores Moldavorum referre jussus. Domus a Popis lustratae et ritu graeco benedictae, quidquid in eis patrium adhuc morem redoleret destructum et abolitum. Armeni religionis exercitio onni, lingua et ritu Armeno ipsis interdicto, inter severissimas mortis comminationes et verbera Templa graeci ritus adire et sacramenta ceterasque functiones eodem ritu adhibere coacti sunt.

Persecutio, per intervalla temporum, sub diversis Moldaviae Ducibus saepius recruduit, donec earum pertaesit et turcica etiam invasione territi Armeni, cum suis se anno 1669 in Alpes Dacicost, Moldaviae et Valachiae finitimos receperunt, atque in tertiam hyemem in dictis delituerunt montibus, nec relictos in Moldavia patrios lares repetere, nec in subjectam montibus Transilvaniam descendere ausi. Tandem impetrata a Principe Michaële seniore Apafi, cuius erga se benevolentiam jam antea 1662, suppetiis pecuniariiis emeruerant, et a quo non semel in regnum acciti fuerant, mercimoniorum libertate, anno 1672 in assignata sibi loca commeassent.

Minas vel Mennas Armenorum Episcopus, cum potiore cleri et magistratus profani parte Bistricium concessit, alii alibi ut suo loco retulimus consederunt. Mennam hunc anno jam 1649 Armenorum in Moldavia, Bucovina et Valachia Episcopum fuisse comperimus; memoriale codicis Evangeliorum praefato anno Szucsavae in Bucovina exarati, ejus ut Episcopi meminit.

Episcopus, Clerus et pars populi maxima, schismate, aliisque erant infecti erroribus. Non deerant tamen nonnulli e populo,

qui ut author Novae Daciae perhibet, Romano-Catholicam pro-fiterentur religionem.

Qui in sedibus siculicalibus Gyergyo et Csik inter Catholicos sedes posuere, a statu Catholico regni atque a Joanne Zebelebi Parocho Részdi Szent Lélekensi, qui exule Episcopo, munus tum generalis in Transilvania vicarii obtinebat, spe futurae cum sede Romana unionis, sacrorum ritu Armeno obeundorum facultatem, in duobus a se, ad Szépviz sedis Csik et ad S. Nicolaum sedis Gyergyo oppidum conditis saeculis impetrarunt. Bistricii quaestionem circa religionis exercitium motam fuisse non legimus.

Latebant interea, non tam vulgi pertinacia quam ignorantia, docentium item ac curionum penuria, quos secum attulerant errores, nec qui eos populo eximeret, Episcopo ut dictum est. Cleroque Schismate infectis reperiebatur. Donec anno 1684 Oxendius Verzirescus, post navatam Romae, quo ex Moldavia anno 1670 ascenderat in Urbano Collegio sacris profanisque scientiis decem et quatuor annis operam ac ejuratos in Palatio sacri Officii Armenorum errores, sacerdotio insignis reverteretur. Quem dum memoro, ait author libelli de ortu et progressu variarum in Dacia gentium ac religionum, unde haec scribimus: fœcunda laudum seges se se mihi aperit, unde meritam ei texerem panegyrim, nisi alienum id ab instituto ducereim. Quae tamen (prosequitur) in rem nostram faciunt, paucis attingam. Hic ille est Armenorum Apostolus, de quo non immerito dubitaveris, maioresne in popularium suorum conversione labores exantlaverit, an calamitates sustinuerit! Enimvero ut Armenos ad imperium Romanae Ecclesiae revocaret Oxendius, nullus labor tam arduus, quem non oppeteret, nullum tam anceps exstitit periculum, quod perhorresceret. Ex adverso vero quis facile edicat: quot injurias ac opprobria, quibus calumniis ac maledictis lacessitus sit! quibus incommodis conflictatus! nihil ut prorsus abesset, quin miserrimus et esset et diceretur. Quadriennio pene integro strenuus in vinea Domini operarius, solos messuit patientiae fructus, quorum uberm satis campum Minas Episcopus cum clero ceterisque Armenis schismate inquinatis aperuit. Ut enim nihil de latis in eum censuris, nihil de calumniis dicam, qua Regni passim et Religionis perturbator circumferebatur, Bistricii dum ageret, parum abfuit, quin immani lapidum vi a suis obrutus alter pro Christo Stephanus occumberet.

Verum laetiora brevi tristibus his successere et divina misericordia elementia spinae ipsae rosas germinarunt, dum apostolicis Oxendii laboribus pravum deductus Schisma ex infensissimo Romanae Ecclesiae hoste gnarus propugnator evasit Minas, majori eidem futurus emolumento nisi post dictum coram Cardinale Pallavicino, nuncio id temporis in Polonia Apostolico, fidei Sacramentum in Transilvaniam redux, lethali correptus morbo, feliciori quam vixerat, coronide vitam hanc mortalem terminasset.

Accedit conversio Episcopi Mennae anno 1686, de eo enim coaevus Vartanus Hunanian Armeni ritus Archiepiscopus Leopolitanus in sua ad Eudoxienses (Tonehat) Epistola haec habet: - Doctor Minas Eudoxiensis Csillifdar-Oghlu cognominatus Episcopus Moldaviae, venit mecum Leopolim et coram Cardinale Pallavicini Innecontii VI. Legato Catholicam professus est fidem anno Domini 1686 Aerae Armenorum 1135.

Mortuus est Minas hoc eodem anno 1686. Sub initium enim sequentis Vartanus Hunanian Leopoliensis Archiepiscopus ad promovendam apud Armenos Transilvanos sacram unionem feliciter auspicatam, usque ulteriores sedis Apostolicae ordines, suum apud illos Vicarium et Administratorem Episcopalem constituit optime de Natione sua meritum Oxendum Verzireszki, Litteris suis de dato 13. Februarii anni 1687. Quas in sua Transilvaniae historia conservavit celeberrimus Daciae historiographus Josephus Benkö. Possideo (ait) Litteras Vartani in originali, in quibus Verzirescum, Vicarium et Administratorem constituerat, quas P. Martino Popai Armeno Districtus Elisabethopolitani Notario in tesseram amicitiae Elisabethopoli reponendas promis-sas, hic adponere in gratiam illius gentis non piget. Sunt vero:

Vartanus Hunanianus Dei et Apostolicae sedis gratia Archiepiscopus Leopoliensis Nationis Armenae, Episcopus Valachiae et Moldaviae omniumque per totum Poloniae Regnum Armenorum.

Admodum Reverendo Domino Oxendio Verziresco Lucae, actuali Presbytero, Alumno venerabilis collegii Urbani de Propaganda fide ejusdemque sacrae Congregationis Missionario, Armenorum Doctori, nobis in Christo Dilecto Salutem in Domino.

Cupientes populo ritus nostri, status et sexus utriusque Terrae Moldaviae et Valachiae, ad praesens stante hostilitate Turcica in Transilvania degenti, uti, et tanquam Jurisdictioni et

regimini nostro, ex vi Diplomatis Venerabilissimi ac Reverendissimi divae memoriae Domini Melchisethi Armenorum Patriarchae, Praedecessori nostro collati, subjecto, de justitia seu tranquillitate saluteque animarum ipsius, quantum in Domino possumus, paterne, pro nostro Pastorali officio, post obitum Domini Mina, Vartabied, ejusdem loci Episcopi, recenter vita functi, providere, Te de eujus pietate, vitae integritate, morum gravitate et in rebus agendis dexteritate ac divini cultus promovendi zelo, plenam in Domino gerimus fiduciam, in Vicarium et Administratorem generalem Loci ejusdem (donec alias a sede Apostolica Episcopus constituantur), Nostra Archiepiscopali et ordinaria authoritate, creandum, instituendum et ordinandum esse duximus, uti quidem praesentibus creamus, instituimus et ordinamus. Dantes et concedentes Tibi plenariam facultatem, curam animarum, administrationem ac Regimen Spiritualium et Temporalium, juxta Ritum et instituta sanetae Ecclesiae Catholicae Armenae, ibidem libere peragendi, tum Bonorum Monasterii loci illius indemnitat serio praecavendi, iisdemque diligenter, ne forte aliquod subsequatur damnum attendendi, nec non Defuncti Domini Minas Vartabied substantiam, tam in paratis, quam in quaevunque materia et forma apud quascunque Personas existentem recuperandi, repetendi, eandemque in integro circa Te ad ultiore Nostri declarationem asservandi.

Utque tibi dictus Armenorum Moldavensium et Valachensium status et sexus utriusque Populus, in Omnibus, quae ad curam et salutem animarum bonumque ordinem spectant, in toto pareat et obediat, sub poenis in Jure canonico descriptis injungimus. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo proprio communiri facimus. Datum Leopoli ad Ecclesiam Cathedralem Gloriosissimae in coelum Assumptionis Beatissimae Mariae Virginis die decima tertia mensis Februarii anno Domini 1687.

Vartanus Hunanian,

Archiepiscopus Leopoliensis Nationis
Armenae,

(L. S.)

Joannes Abrachthus Murathovics m. p.
Consistorii Archiepiscopatus Nationis Armenae
Notarius.

CAPUT XII.

Oxendius denominatur in Vicarium Apostolicum Armenorum in Transilvania, consecratur in Episcopum Aladiensem. Armeni ejus opera conversi schisma et errores ejurant. Oxendii mors et Testamentum.

Summus Pontifex Alexander VIII. anno 1690. Oxendum Verziresky apostolicum constituit Armenorum in Transilvania vicarium et administratorem, dato ad eum Brevi, in quo inter cetera haec legimus: Ex Pastoralis vigilantiae et sollicitudinis officio, divinitus nobis tradito, spiritualibus necessitatibus Armenorum Moldaviae, qui nunc per Siculiam et Transilvaniam dispersi inveniuntur, prospicere cupientes, confidentes in Domino in Tua Fide, prudentia, vitae integritate, doctrina, vigilantia et orthodoxae Fidei zelo ex consilio quorundam Fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui Praesides sunt S. Congregationis de Propaganda Fide et Curatores negotiorum illustris gentis Armeniorum, Te pro Armenis Moldaviae qui sunt in dispersione Siculiae et Transilvaniae Vicarium et Administratorem mittimus, constituimus et confirmamus, cum jurisdictione, facultate et praerogativa ad hoc munus necessaria, ita tamen, ut praedictae Cardinalium congregationi cum obedientia subjectus sis et maneas. Quapropter mandamus omnibus et singulis quorum interest, et ad quos quacunque ratione spectat, ut Te, quem tenore praesentis Diplomatis in opus Apostolici Vicariatus et administrationis constituimus, cum debito acceptent honore, suumque agnoscent Pastorem et superiorem, sintque tibi in cunctis munerialibus tui partibus obsequentes, consilia et mandata, doctrinam atque praedicationem tuam cum omni humilitate et submissione recipient et opere adimplere satagant. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 3. Octobris anno Domini 1690. Pontificatus Nostri Primo.

Innocentius XII. Alexandri VIII. in sede sancti Petri successor, Oxendum Episcopalibus Aladinensis in Hibernia Ecclesiae honoribus auctum, Apostolicum Armenae in Transsilvania Dioeceseos pronunciavit Vicarium. Consecratus autem est in Episcopum Leopoli anno 1691. die 30. Julii per Vartanum Hunanian, cuius rei meminit idem Hunanian in sua ad Eudoxienses

Epistola Dogmatica in Verbis: „Doctor Oxendius Boesanensis Verzeresko dictus, collegii urbaniani alumnus, per me consecratus est in Episcopum Aladiensem anno Domini 1691. Aerae Armenorum 1140. die 30. Julii. Qui reversus in Transilvaniam Armenos illius loci cum sacra Ecclesia Romana univit.

Major exinde Oxendii tot honoribus aucti, praedicatione Cleri populi Armeni ad religionem Catholicam facta accessio, qui ut suam in sedem Romanam contestarentur observantiam, Eliam Sacerdotem Armenum, cum octo aliis, Leopolim ad Nunium Apostolicum ablegarunt, ubi annuente Cardinale Cantelmo, Pallavicini successore, coram Archiepiscopo Leopolitano praefato Vartano Hunanian, totius Armenae Nationis Daciam inco-lentis nomine, fidelium coetui aggregati, perennem Romano Pontifici subjectionem jure jurando promiserunt. Ubi haec, quae postremo adduximus enarrat Author saepe laudati a nobis libelli, De ortu et progressu variarum Gentium et Religionum in Dacia: continuo subjungit Armenos datis ad Innocentium XI. Litteris imis eum precibus exorasse, ut Oxendum, optime de se meritum, Episcopali insigniret honore. In quo tamen anachronismum committit non exiguum. Eliae enim atque sociorum conversio, prout et generalis Armenorum hujus Patriae cum sede Romana reconciliatio, Oxendii ad Episcopatum evectionem non praecessit sed sequuta est, uti hoc ex superius citatis Vartani Hunaniani verbis discimus ubi ait: Qui (Oxendius accepta Episcopali consecratione) in Transilvaniam reversus, Armenos ejates cum sede Romana uniuit. Porro idem, postquam retulisset Oxendum a se in Episcopum consecratum in Transilvaniam rediisse, immediate subdit: Hoc eodem anno 1691 Dominus Elias Szucsovensis, Mendrul dictus, Archipresbyter per Moldaviam, hic Leopoli coram me Fidem Catholicam est professus.¹⁾ Neque vero anno 1691 ad quem annum Vartanus conversionem Eliae fixit, Innocentius XI, qui anno 1688 decessit, verum Innocentius XII. in sede S. Petri sedet.

Episcopus Oxendius Leopoli reversus sedem Bistricii fixit, atque a Latino Transilvaniae Episcopo Andrea Ilyés sede extorre et in Hungaria exule, rogatus ritu non modo Armeno, verum etiam Latino, Antistitis religiosissimi munia, magno cum spiri-

¹⁾ Epistolae ad Eudoxienses c. XII. p. 101.

tuali utriusque ritus fidelium emolumento exercuit. Testantur id, ut alia praetermittam, Comitis Ignatii Batthyani piae memoriae Episcopi Transilvaniae Litterae anno 1787 ad Summum Pontificem Pium VI. exaratae, in quibus sacros ordines ritus Armeni Clericis conferendi petit facultatem, sequenti inter alia usus argumento: „Tandem compertum habeo ex authenticis Documentis Episcopum Armenum Oxendum a sede Apostolica hue missum Latinos quoque indiscriminatim ordinasse, possem hac quoque in parte antecessoris mei Georgii Mártonfi uti exemplo, qui Michaelem Theodorovics in ritus Armeni Presbyterum ordinavit.“

Sed dum ita pastoralis munera partes zelosus Praesul explet, a Turcis Transilvaniam concursantibus captus vinctusque in Turciam abducitur, unde post toleratas integro triennio captivitatis aerumnas liberatus, in praemium contestatae in Deum et Caesarem illibatae fidelitatis a Leopoldo Magno gloriose tum imperante jus condendae Urbis Armenopolitanae obtinuit. Cujus aedificandae locum Oxendius ad Szamos Ujvarinum delegit, primusque Ipse domum erexit, quae deinde in aedem consecrata, quoadusque moderna eodem in loco assurgeret Sanctissimae Trinitatis Basilica pio fidelium coetui, saera ritu Armeno obeunti inserviit.

Anno 1715 dum Viennae popularibus suis, quos antea suavi Christi jugo subjecerat libertates et privilegia procurat, conatui, non sine veneni porrecti suspicione immoritur anno aetatis plus minus sexagesimo. Dies et mensis obitus certo non constat. Quarta Martii aut brevi post eum decessisse ex ultimae voluntatis tabulis, quae quarta Martii exaratae sunt colligimus. Sepultus est Viennae in suburbio Leopoldino, in Templo FF. S. Ioannis de Deo a Misericordia nuncupatorum.

Diem sibi supremum imminere sentiens, verus hic Pastor, de gregis sui, quem Apostolicis laboribus Christo pepererat, salute in casum mortis sollicitus, Testamentum condit, et successorem sibi in eo designat Stephanum Stephanovics, atque paternae suos hortatur, ut hunc sibi a sacra congregatione peterent neve e Turcia reciperent Episcopum. Sed juvat hic ipsius tanti Praesulis in extremis constituti verba adduxisse. „Deinde (inquit) coram Deo recommendo, ut omnes simul congregati, rogetis, sacram Congregationem et literas scribatis, ut vobis Vicarium et

Episcopum consecret Reverendum D. Stephanum Stephanovies, hunc noscitis et progeniem et ejus humanitatem scitis, ille quoque inter vos existens, scit nostrae nationis veram naturam, ita, ut si privabimini Domino Stephano non invenietis alium, qui fiat Pastor bonus et compatiens ovibus, et curam habens Ecclesiac Ornamentorum . . . Vae vobis si e Turcia patria Episcopum ponerent vobis, usque ad mortem stetis et non acceptetis, quia aliquando pacem non habebitis. Si D. Stephanus successor meus fuerit, praeter prius dicta (Domesticae Supellectilis partem) lego ipsi duas cruces, unam quam ego porto sine lapidibus, et unam lapidibus ornatam, quae ipsi placuerit ex crucibus. Annulos duos, ambo hic sunt. Unus violaceo amethisto lapide, et unus magno albo Topazio lapide ornatus.

Armenopolitani, Elisabethopolitani, Gyergyo-Szent Miklosenses, Szépvizesenses, Görgényenses ceterique per Transilvaniam Armeni, intellecta praematura et inopinata desideratissimi sui Praesulis morte, per suos ablegatos Cibinium confluunt, atque a Comite Sigismundo Kornis Transilvaniae Gubernatore et C. Stephano Steinville supremo Armorum Praefecto facultatem impetrant, conventum nationale, in quo de eligendo novo Episcopo deliberarent celebrandi; quo, ad 20. Maji 1715 ad oppidum Görgény comitatus Torda indicto, Primores cleri et populi ad praestitutum diem convenerunt.

Erant in Görgény bona quaedam immobilia, Domus, Mola, aliisque fundi et possessiones defuncti Episcopi Oxendii, quibus prius ad ductum testamentariae Dispositionis divenditis, pretioque in fines destinatos erogato, consilia inter se de eligendo Episcopo agitare coeperunt. Cum autem in diversa abirent eorum sententiae, in eo tandem omnes convenerunt, rem totam committendam esse judicio et sapientiae sedis Apostolicae, et quemcunque Roma ipsis dedisset Episcopum hunc cum filiali erga sanctam sedem devotione et obedientia acceptare.

Oxendium (inquit illi in instrumento electionis, quod in origine possideo), qui 25 annis Episcopatum inter nos summa cum laude gessit, non nos elegimus, neque ille nostra, sed Romanae sedis autoritate sedem suam obtinuit. Quem igitur deinceps quoque Romanus Pontifex miserit et nobis dederit Episcopum hunc acceptabimus, illi parebimus.

CAPUT XIII.

Georgius Martonfi primus novae fundationis Dioecesis Albensis Episcopus, curam Armenorum Praesule orbatorum, sub inspectione sacrae Congregationis de Propaganda Fide provisorie in se assumit. Errores et abusus nonnulli inter Armenos rursus repullulant. Sedes Apostolica in eos inquiret. Armeni objectos sibi errores et abusus partim negant partim tollunt.

Interea dum Armeni mortem Praesulis sui lugent, et consilia de successore eligendo agitant: Latini ritus Cathedra Episcopalis Alba-Juliensis in Transilvania, postquam per saeculi et quod excedit spatium, triste Pastorum suorum luxisset exilium, pietate et clementia invicti Gloriosissimi Imperatoris Caroli VI. restabilita, exuto luctu, anno 1716 primum novae fundationis accepit sponsum Episcopum Georgium Martonfi. Qui Transilvaniam ingressus, ad sui pertinere muneric partes credidit, Armenorum, Pastore orbatorum, donec proprium accepissent, pastoralem curam gerere. Vicem se in hoc reddere arbitratus, piae memoriae Oxendio Armenorum Episcopo, qui in Latinorum Praesulum absentia, utilia Latini ritus fidelibus praestitisset servitia. Igitur res Armenorum a morte Praesulis paulum dilapsas ordinare, causas eorum ad se pertrahere, investigationes instaurare, relationes de illis ad sedem Apostolicam facere, quin et sacros Ordines conferre.

Jurisdictionis ab Episcopo Georgio Martonfi in Armenos exercitae, nec ipse eruditissimus alias Transilvaniae Episcopus C. Ignatius Battyáni in suo ad postulata Armeni ritus Archiepiscopi Leopoliensis responso, de quo inferius nobis sermo recurret, ubi acriter pro juribus suis in Armenos depugnat, aliud assignare novit fundamentum, quam fragile illud superius a nobis attactum a Jurium reciprocitate petitum. „Episcopus Mártonfi (inquit) usque adeo omnem Jurisdictionem in Armenos exercuit, ut Armenos in ritu suo deservituros etiam sacerdotes ordinaverit. Mutuam in eo rependit vicem Auxentio Verzán, qui ad Latinum quoque ritum sacerdotes consecravit. Fuit igitur haec Jurisdictionis praecaria duntaxat atque adscititia, minime autem Authoritati sedis Apostolicae innixa, et Armeni quemadmodum temporebus Oxendii Armenorum Episcopi, ita post ejus quoque ex hac

vita excessum, sub imminētā steterunt permaneruntque sacrae Romanae de Propaganda Fide congregationis cura et inspectiōne, cuius rei luculentā exhibebimus in hujus serie libelli documenta.

Piac memoriae Episcopi Georgii Mártonfi attentionem cum primis provocarunt, sparsi de erroribus inter Armenos rursus repululantibus rumores. Morum enim ac consuetudinum patriarcharum tenacissimi Armeni, in avita gentis instituta, quorum necdū penitus exoleverat inter ipsos memoria, proclives post Oxendii obitum turbarum nonnihil Armenopoli excitarunt, quas non parum promoverunt novae Armenorum ex Armenia et Moldavia advenientium coloniae, quarum persuasionibus inducti Transilvani quoque, quos non ita pridem exuerant errores, sensim repetere, ritus et consuetudines labe superstitionis infectas, aut saltem de ea suspectas frequentare, atque universim ad orientem respicere occuperunt.

Erat id temporis Vicarius et Archidiaconus omnium per Transilvaniā Armenorum Lazarus Budákovics Parochus Armenopolitanus, qui catholicis licet addictus sacrī, veteri tamen ritu geri omnia patiebatur, sive quod natura indulgentior, nihil ceremoniis his ac ritibus inesse mali bona fide crederet, sive quod ipse quoque propensum in antiquam superstitionem gereret animum. Quod ubi Antistiti Georgio Mártonfi innotuit, virum ex Armenis, catholicis rite imbutum sacrī et ceremoniarum probe gnarum Michaelem Theodorovics Sacerdotio initiauit. Nihil is (ait author Libelli de Ortu et progressu etc.) quo populares suos ad Ecclesiae autoritatem revocaret, intermisit, grande operae pretium relaturus, si par labori fructus respondisset, sed gravius jam malum fuerat, quam quod medelam admitteret. Armenopoli proinde exactus ac tempori cedendum ratus, Romam contendit, ut Religionis orthodoxae propagandae, suorumque ad frugem revocandorum studium, quod nequibat sua, Romani Pontificis auctoritate prosequi fas haberet.

Theodorovicsii, aliorumque passim relationibus excita S. Fidei Propagandae congregatio Georgio Mártonfi Episcopo Transilvaniae commisit, ut in rei veritatem solerter inquireret, et genuinam desuper ad S. Congregationem faceret relationem, communicato cum eodem errorum ac abusuum Armenis attributorum Catalogo. Quem nos prout et memoratas Congregationis

Litteras in origine prae manibus habemus. Quarum quidem tenor est sequens :

Illustrissime et Reverendissime Domine uti Frater!

Innotuit sacrae huic congregationi inter Armenos istius Transilvanieae Provinciae post vita functum ejus nationis Episcopum Oxendum Verzireski sensim irrepssisse adversus puritatem Orthodoxae Fidei noxios errores atque abusus, in adjuncto folio descriptos. Cumque malum hoc nimis grande prompto nedum sed et efficaci indigeat remedio, idecirco hi mei Eminentissimi Domini ut maturius in re tanti momenti procedere valcant, ab Ampl. Tua super hoc certiores fieri, animique tui sensum quam primum intelligere exoptant. Nulli dubium, quod propter zelum, quo tuum ad sanctae Religionis incolumentem flagrare animum compertum est, verum statum de his solertia studio eruere et ad sacram congregationem pleno calamo deferre Amplitudo Tua non omittet. Ego a Deo opt. max. eidem Amplitudini Tuae prospera cuncta faustaque precor.

Romae 27. Februarii 1719.

Ampl. Tuae

uti Frater

Josephus Cardinalis Sacripantes Praefectus
P. A. Archiep. Larissae.

Errores et abusus inter Armenos Transilvaniae vigentes.

1. In Sacrificio Missae de Haereticis commemorationem faciunt.
2. Natalitiam Christi Domini solemnitatem et Epiphaniam eodem die celebrant.
3. In privatis Fidei Professionibus duas in Christo naturas non admittunt.
4. Animalium Sacrificia faciunt.
5. Infantes communicant.
6. Non utuntur Sacramento extremae unctionis.
7. Puellae grandes non vadunt ad Ecclesiam.
8. Sacram Synaxim ad infirmos absque ullo penitus honore deferunt.
9. Nomen Romani Pontificis ubi opus est a Catholicis commemorari, tacent.
10. Aquam cum vino in sacrosancto missae sacrificio non admiscent.

11. Erronee canunt Trisagium.

12. Blasphaemant ac anathematizant Leonem Papam ac Sacram Occumenicam Synodum Chaledonensem.

Quibus acceptis praelaudatus Episcopus Primores Armenorum ad diem 14. Maji in feriam 5^{am} post Dominicam Cantate incidentem Albam evocavit. Comparuerunt a singulis Ecclesiis missi viri status Ecclesiastici et Saecularis, universim quatuordecim, qui ad singula accusationum puncta, quae lectae coram ipsis sacrae congregationis Litterae adferebant, congruum dederunt responsum. Errores nonnullos atque abusus, qui reipsa apud ipsos obtinebant, candide agnoscendo, atque una eorum emendationem in omni humilitate sacrae sedi promittendo; alias vero partim jam abolitos enunciando. Confectum hac super re, lingua Armenia Instrumentum, quod in origine teneo, submissum est Lazaro Budakovics Vicario et Archidiacono Armenorum, ut is sua illud authoritate confirmaret. Qui quod ab ipso petebatur, praestare nihil moratus subscriptis in verbis. „Ego Lazarus Budakovics Archidiaconus et Vicarius Armenorum Transilvaniae ratihabeo et confirmo quaecunque in hoc scripto continentur, et quidquid Armenopolitani, Elisabethopolitani, Gyergyoenses, ceterique Albae Carolinae congregati decreverunt; atque simul responsum ad puneta in quaestione posita latine redditum Albam ad Episcopum remisit, suo suorumque nomine Sacrae congregationi substernendum. Tenor autem responsi erat sequens.

Errores et abusus quosdam negamus, quosdam fatemur modo ut sequitur.

1. Negamus quod nos commemorationem Haereticorum in sacrificio missae faceremus.

2. Quod Nativitatem et Epiphaniam eodem die celebraremus. Semper 25^{ta} Decembris Nativitatem et Epiphaniam 6^{ta} Januarii celebрамus.

3. Quod duas naturas in Christo Domino non crederemus in professionibus privatis fidei negamus.

4. Quod animalium sacrificia faceremus.

5. Infantes non communicamus, sed solum signamus per modum crucis ora ipsorum.

6. Est verum (sicuti et significaveram Ill^{ae} et Rss^{mæ} Dn. vestrae) quod sacramento extremæ unctionis usi non fuerimus sed volumus eo deinceps uti.

7. Est etiam verum quod Puellae ad Ecclesiam non vadant, praeterquam in novo anno, in Annunciatione et Transfiguratione Christi Domini, quamvis tam Bistricii quam hic (Armenopolii) catechizaverim et concionatus fuerim ipsis, sed mores quibus in Moldavia imbuti erant, difficulter et non statim amittere possunt.

8. Sacram Synaxim cum hactenus inter Haereticos fuerimus non praecedentibus clericis, sed cum studio vel alio ad infirmos deportavimus nos personae spirituales, ubique accensis candelis praeparatisque rebus debito honore omnibus, infirmos communicavimus et communicamus.

9. Non solum Romanum Pontificem sed et Imperatorem, Episcopum aliasque supremos Rectores in sacrificio missae commemoramus.

10. Aquam cum Vino in sacrosaneto missae sacrificio admisceamus.

11. Trisagium sicut in Polonia usitatum ex commissione pie defuncti Redissimi Dni Episcopi Oxendii cantamus.

12. Non blasphemamus nec anathematizamus S. Leonem Papam, sacrosanctam oecumenicam Synodus Chalcedonensem.

CAPUT XIV.

Sedes Apostolica Visitatores in Transilvaniam mittit. Mennam de Barum sacerdotem orientalem, Transilvanos nonnihil turbantem ad officium revocat, atque omnem adhibet curam ne ritus Armenus per facilem in ieiuniis dispensationem ab originaria sua puritate desciscat.

Verum enimvero nec Armenorum responsum, nec quae il lud comitabatur, Episcopi Martonfi relatio, omnem mentibus Patrum sacrae congregationis dubitationem exemisse videtur; tum quod Vicarii Armenorum Lazari Budakovics et aliorum adhuc duorum sacerdotum orthodoxia merito suspecta esset, tum quod piae memoriae Episcopus Martonfi, qui demandatam sibi a sancta sede in errores et abusus Armenorum inquirendi provinciam, per evocatos ad sedem Episcopalem nationis primores expedire se posse arbitratus, in rei veritatem in facie loci inquirere intermi-

sisset, aliunde linguae, ritus et consuetudinum gentis ignarus, mentem illius haud satis penetrasse crederetur, tum denique quod res suspicione minime careret, atque essent, qui eam Patribus suggererent, Martonfium vel ideo errores Armenorum extenuare, ut hac quoque ratione Episcopi Armeni in Transilvania necessitatem nullam esse, se autem iis quoque regendis parem sufficien-temque comprobaret.

His igitur potissimum ex causis inducta, sacra Fidei Propagandae congregatio, eodem adhuc anno 1719 Facultatibus Romanis instructum in Transilvaniam deputavit visitatorem Apostolicum Cacciadurum Arachiel Sacerdotem et Doctorem Armenum ac Missionarium Apostolicum pro Armenis Venetiis degentibus. Discimus id ex Litteris Stephani Stephanovics Praepositi Stanisleopoliensis die 26. Junii anno 1719 ad Episcopum Martonfi datis, in quibus petitam Festorum ab Armenis in Polonia observatorum consignationem, mittere se in advoluto folio ait, atque prosequitur: Illustrissimam D. V. ea qua par est observantia rogo, ut quidquid concernens ritum nostrum Armenum saltem respectu Festorum principaliorum in visitatione proxime futura, quam perillustris D. Cacciadurus Arachiel Armenus a praefata S. Congregatione visitator istorum Armenorum Transilvaniensem deputatus habiturus est, juxta ritum nostrum, quem nos hic in Polonia Catholici Armeni approbante S. sede Apostolica observamus, etiam istic stabiatur, quatenus nos vicini Armeni citra omne scandalum populi unum et idem in ritu nostro sentiamus et observemus, connotationem festorum principaliorum in adjunctis accludo, cuius exemplar etiam ad praefatum D. Visitatorem Cacciadurum coalumnum meum transmitto, ut appareat in quibus Domini isti Armeni Transilvanienses discrepant a nobis.

Interim Cacciadurus hic incertum quare, Transilvaniam nunquam est ingressus, saltem nullum illius in monumentis nostris, ut haruni partium visitatoris deprehendere est vestigium.

Sed ita alterius a sede Apostolica anno 1721 in Transilvaniam ablegati visitatoris, Jonae scilicet ritus Armeni Episcopi Sebasteni, quem piae memoriae Transilvaniae Episcopus Ignatius Batthyani, in suis ad postulata Archiepiscopi Leopoliensis reflexionibus Georgii Martonfi suffraganeum, praefatus vero Stephanus Stephanovics Roska variegatae fidei orientalem appellat. Jonas hic Sebastenus instituta anno 1721. die 10 Junii Elisabe-

thopoli visitatione, statuit inter alia, ut loci Parochus Joannes Edilbey a piae memoriae Armenorum Episcopo Oxendio anno 1708 die 20. Julii in Parochum nominatus, duas tertias proveni-
tuum dictae Ecclesiae partes percipiat, tertia duntaxat Capella-
no, qui tum unicus erat relictus, addito tamen onere ut P. Emma-
nuel Religiosum S. Antonii Abbatis, quamdiu Elisabethopoli
moras traxisset, Plebanus alere teneretur. Porro annales Eccle-
siac Armenopolitanae de eodem Jona Episcopo memoria prodi-
dere, eundem ordinatis quinque ritus Armeni Presbyteris paulo
post ad sua remeasse.

Circa idem tempus Ecclesiastis Armenos nonnihil turbavit
orientalis quidam sacerdos Minas de Barun nomine, affirmans:
Armenos Catholicos ad antiqua sui ritus jejunia non amplius ob-
ligari, illa proin observanda non esse. Cujus persuasionibus in-
structus Antistes Martonfi pervetustum probatumque jejuniorum
usum Armenis interdixit, id quod sedes Apostolica vehementer
reprobavit, praefatumque Praesulem litteris de dato 17 Martii
1721 serio admonuit, ut in similibus majorem deinceps adhiberet
cautionem, ne schismatici ab unione cum sede Romana abaliena-
rentur. Litterae S. Congregationis erant tenoris sequentis.

Ille et Rme Dne uti Frater!

Non sine ingenti animi molestia accepit haec S. Congrega-
tio Armenos Catholicos, in ista Transylvaniae, qua late patet
Provincia degentes circa proprii ritus observantiam a S. Sede
jam diu satis permissam importune exagitari a quodam ejusdem
nationis sacerdote nomine Minas, qui ambitionis stimulis ductus
eos variis novitatibus perturbare non desinit. Is nempe jejunia,
quae in praefato Armeno ritu infra annum exercenda praescripta
sunt, contemnens, connationales suos ab iis avertere totis viribus
conatus est, ipsos proinde Ampl. Tuae tanquam schismaticos ac
a vera salutis via hac ex parte aberrantes accusare non praeter-
mittens. — Audientes tamen hi Eminentissimi Patres Ampl.
Tuam praedicti Sacerdotis suasionibus morem gerendo, memo-
ratis Armenis, jejuniorum suorum pervetustum probatumque
usum omnino interdixisse, Te ipsum paterne seduloque admo-
nendum atque adhortandum existimant, ut hac in re caute proce-
dere satagas, non tantum ne scandalum hac de causa pusilli ac
minus sapientes patientur, sed etiam ne Schismatici ad veram
Apostolicamque fidem e Schismate accedere formident ac pror-

sus abstineant. Placeat insuper Ampl. Tuae Sacram hanc con-gregationem super praemissis, imo etiam de vita moribus et idoneitate praedicti Sacerdotis Minas quantocius ac secreto instru-ctam reddere et Te Deus incolumem quam diutissime servet. Ro-mae 17 martii 1721. Ampl. Tuae

uti Frater

Josephus Cardinalis Sacripantes

Praefectus, P. A. Archiep. Larissae secretarius.

Petitam a Sancta Sede in superioribus informationem piae memoriae Martonium praestitisse, in defectu Documentorum eruere nequivimus, praesertim cum saepe laudatum Praesulem hoc eodem anno 1721 die 5^{ta} septembris supremum diem obiisse in-veniamus. Illud tamen ex Inquisitoribus anno 1727 jussu Episcopi Joannis Antalfi circa praedictum Mennam de Barun factis certo constat, eundem proventus a communitatibus Armenis Oxendio Episcopo quamdiu vixisset, annue pendi solitos, deinceps quoque juris sustentandi causa, in spem creandi Armeni Episcopi, annue rite desumtos, perceperisse, atque legationibus ad Augustam au-lam Caesaream Caroli VI, pro natione susceptis inclaruisse. Ex iisdem porro inquisitorio-relatoriis atque ex informatione Stephani Roska, de eodem die 2. Decembris 1729 ad Gregorium Zorger Episcopum facta discimus, saepetatum de Barum orientali fuisse fermento infectum, cui Viennae forte constituto, Nuncius Apostolicus in Transsilvaniam reverti prohibuisset.

Quanta cura et sollicitudine pia omnium Ecclesiarum mater et magistra Romana caverit, ne ritus Armenus per innovationes quasvis aut Dispensationes ab originaria sua puritate inter Catho-licos Armenos descisceret, neve hac ratione Orientalibus Armenis scandali praebetur occasio, colligere licet e procedendi ratione quam anno 1723 intuitu Armenorum Poloniae sequuta est, aegre admodum tribuendo facultatem Nuncio Apostolico Poloniae, in quibusdam jejuniis Armenorum dispensandi. Quarum quidem fa-cultatum exemplum Stephanus Stephanovics, Georgio Zorger Episcopo Transsilvaniae submittens, hisce illud comitatur verbis: „Quod autem spectat vigilias in communi dico, Ecclesiam Arme-norum etiam bene catholicam loco vigiliarum tenere hebdomati-cia decem jejunia, quibus si adderentur etiam vigiliae esset nimis onerosum. Ut quinque ex his decem sancta congregatio dispen-saret, nos aliquoties supplicavimus, rationes allegando pondero-

sas... Non obstantibus tamen nostris rationibus ipsa S. Congregatio absque publica sanctissimi Domini nostri Dispensatione non fuit ausa quidquam in ipsis jejuniis immutare. Accludo hic exemplum Decreti dispensativi sanctissimi Domini Papae, ad decenium tantum duraturi, ex quo luculenter patet, quanta cum difficultate atque circumspectione S. Sedes Apostolica in similibus Dispensationibus procedere soleat, ne abhorreat oriens unionem sanctam.

Feria 5^{ta} Die 14. Januarii 1723.

In congregatione generali S. Romanae et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram Stsimo Domino Innocentio Divina Providentia Papa XIII. ac Eminentissimis et Reverendissimis S. R. Ecclesiae Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Papa praedictus instante R. P. D. Joanne Thobia Augustinovies Archiepiscopo Ritus Armenorum Leopoliensium, exauditis votis Dominorum Eminentissimorum, et Reverendissimorum Cardinalium declaravit. R. P. D. Santini Archiepiscopo Trapezuntino Nuncio Apostolico Poloniae facultatem duraturam ad Decennium, justa concurrente causa, pro suo arbitrio et conscientia dispensandi Armenis Leopoliensibus a quinque Jejuniis sequentibus: nempe a Jejunio in ipsis Festivitatibus Pentecosten, excepta die prima per Hebdomadam unam, et vocatur Eliae, et ab aliis quatuor Jejuniis, quibus Armeni Leopolienses sese disponunt. Ad Transfigurationem Domini per Hebdomadam unam. — Ad S. Crucis apparitionem in monte Varak per hebdomadam unam. Ad S. Jacobum Nisibenum per hebdomadam unam. Ad S. Sergium tempore Bachanaliorum per hebdomadam unam. Jejunium autem Quadragesimale juxta solitum ritum Armenorum Sanctitas sua servari mandavit.

Antonius Lancianus S. Romanae
et universalis Inquisitionis Notarius.

CAPUT XV.

Michael Theodorovics Armenos in fide vacillantes confirmat. Idem qua Vicarius et generalis Armenorum Archidiaconus Ecclesias Armenas in Transsilvania visitat. Aedes sacrae sub initium saeculi XVIII. per Armenos erectae. Numerus Parochiarum Armenarum in Transsilvania hoc aevi. Coelibus Armenorum, Ecclesiarum ritus Armeni in hac patria unitatis centrum, et vinculum unionis inter se et cum Sancta sede Romana, non obstante contraria ultimi visitatoris Apostolici Stephani Stephanovics ordinatione, ejusdem item ac Cleri Armeni precibus sublatus ac nexus omnis inter Ecclesias dicti ritus solutus.

In extirpandis, quae apud Armenos hinc inde adhuc serpebant errorum reliquiis, eisque ab omni haereseos labo et Schismatis suspicione purgandis, post Oxendum, omnibus facile palmam praeripuit Michael Theodorovics, quem supra a novatoribus Armenopoli exactum, Romam profectum notavimus. Unde biennio post S. Congregationis Propaganda Fidei instructus litteris et Protonotarii Apostolici auctus honore, circa medium anni 1721 in Transsilvaniam reversus, Lazaro Budákovics interea fatis funeto, eidem in munere Plebani Armenopolitani et Archidiaconi Armenorum successit. Gessit autem utrumque hoc munus, inter varias licet vicissitudines et adversitates, quamdiu per adjuncta licuit, summa cum laude, et non minori Ecclesiae Catholicae emolumento. Illius etenim zelo et laboribus factum, ut, quam natio nondum penitus erga Romana sacra exuerat reverentiam, repararet et tota brevi Armenopolis, atque ejus exemplo reliquae etiam Ecclesiae rejectis iterum, et hac quidem vice pro semper vanarum superstitionum tenebris, Romanae sese redderet Ecclesiae. Splendidae abhinc surrexere Deo et sanctis Ejus dicatae Aedes, privatorum aliae, aliae communitatum sumtibus et pietate. Inter illas memorari meretur Templum Annunciationis B. Virginis Szamosujvarini anno 1722 a geminis Fratribus Salamone et Theodoro Simai erectum. Inter has aedes antiqua Parochialis Elisabethopolitana et Gyergyó Szent Miklosensis. Armenopoli anno 1748. iacta fundamenta magnificae sane Basilicae honoribus SS. Trinitatis dicatae. Elisabethopolis novae aedis Parochialis ad S. Elisabeth nuncupatae, quae Szamosujvariensem splendore et magnificentiae aequat.

Episcopus Transsilvaniae Joannes Antalfi cui Theodorovici in rebus gerendis dexteritas probe cognita erat, duplicitis eum infra anni spatium Decreti privilegialis honore auxit. Quorum uno praehabitam ejus Jurisdictionem Archidiaconalem confirmat, altero novas eidem confert facultates. Liceat ex utroque in rei memoriam nonnulla excerpere. Itaque in illo de dato 12. Aprilis 1725 legimus: „Quandoquidem Reverendus Pater Michael Theodorovics Archidiaconus Armenorum praefati Regni Transsilvaniensis, Plebanus Szamosujvariensis nos requisivisset . . . quemadmodum prioribus retroactis temporibus receptum et indultum est, ita quoque a modo in posterum penes unionem cum Romana Catholica fide intra nationem Armenianam semper curanda permanere zelose sategisset, confirmataque privilegia manutencere petiisset. Cujus itaque nos justa et aequitati Divinae maxime consona petitione exaudita, praementoratum Plebanum Szamosujvariensem Michaeliem quippe Theodorovics in antiqua sua Jurisdictione relinquimus instituimusque etc.

In altero de dato 20. Novembris ejusdem anni haec occurunt notatu digna: „Quoniam Admodum Reverendus in Christo Pater Michael Theodorovics Armeniae nationis per haereditarium huncce Principatum Transilvaniensem, Dioecesimque nostram Archidiaconus frater in Christo nobis sincere dilectus, Ecclesias, Altaria et Sacristias dictae ejusdem nationis Armeniae visitare, ibidemque si quae forent conplananda conplanare, corrigenda corrigere et emendare pro ratione etiam incumbentiarum suarum probe sategisset, cujus sedulam consuetudinique legibus divinis ac humanis firmatae accomodatam atque conformem intentionem, nos quoque praesentibus nostris comitari, deque condigno et opportuno protectionis remedio, paterne providere voluimus, dando insimul et attribuendo omninodam eidem potestatis facultatem, quatenus idem praementoratus Admodum Reverendus Pater ratione quarumlibet causarum et controversiarum Ecclesias dictae nationis Armeniae concernentium et tangentium agere, tractare, discutere ac definire possit et valeat.

Sub initium Saeculi 18-vi dum Michael Theodorovics vicaria Episcopi potestate Parochias Armenas in Transsilvania lustravit, plures ac nunc sunt, intra ambitum hujus Principatus existisse Armeni ritus Ecclesias monumenta nostra litteraria dubitare nos non sinunt. Ut enim Ecclesiam Bistricensem sedem olim

Episcoporum Armenorum Mennae et Oxendii non comminemorem; utpote quae per translationem sedis Armenorum Bistriensis per posterius laudatum Episcopum ad Szamosujvarinum factam anno 1700 extincta est. Viguerunt primis saltem tribus saeculi praecedentis decenniis Parochiae Alba-Carolinensis, Görgenyensis, Petelensis et Felfalusensis. Albae-Carolinensis ritus Armeni Parochiae existentiam evidenter probat antiqua matricula Baptizatorum Ecclesiae Szamosujvariensis, quae Albae sumsit initium, cum primae ejus paginae referant nomina infantium per diversas sacerdotes ab anno 1691 usque 1730 Albae Carolinae baptizatorum et confirmatorum. Sed discimus hoc etiam e litteris Stephani Stephanovics Roska anno 1819 die 20. Februarii ad Episcopum Georgium Martonfi exaratis, in quibus meminit cujusdam transactionis inter Michaelem Theodorovics et Armenos Albae-Carolinenses initiae in verbis: „Michael Todorfi Sacerdos Armenus nepos meus ab Illustrissima D. V. in Presbyterum ordinatus, scriptotenus retulit mihi de transactionibus, quae inter se et Armenos Carolinenses contigerunt, sat notis Illustrissimae D. Vestrae, et paulo inferius in iisdem litteris sacerdotem carolinensem de hacresi suspectum esse notat. Sunt isti (inquit) tres sacerdotes palliati Catholici, primus R. Lazarus Vicarius, secundus non pridem Carolinam adductus Isghinder, tertius Vartanus insignis hereticus, mihi satis bene notus, qui nunc Coronae residet. Aetate de qua agimus, habitasse Albae Armenos testatur etiam Author Novae Daciae p. 64, ubi in descriptione Albae-Carolinae ait: „Ad orientem arcis amplum oppidum, quadrifariam divisum patet, quod suburbana nonnulli, alii Albam vocant, vasto ambitu conlectitur Hungaros, Germanos, Italos, Armenos, Hebreos, et quicquid Nautae occupant ac Valachi numerosi.

Görgenensem Ecclesiam anno 1715 viguisse evincit instrumentum electionis Episcopi Armeni, dicto anno in Görgeny confectum, ubi expresse habetur: Nos Armenopolitani Elisabethopolitanai, Gyergyó Szent Miklósensis Görgenyenses status utriusque Ecclesiastici et saecularis etc. Quin ex indiciis haud obscuris colligimus Claudiopolitanos quoque et Coronenses Armenos suos habuisse ritus Armeni Sacerdotes et sua oratoria. Coronensis Sacerdotis Vartani meminit Stephanus Stephanovics in Litteris supra citatis. Claudiopolitani oratorii author novae Daciae pag. 85. ubi ait: Valachi Romanis uniti extra suburbium (claudiopolita-

num) in pago cui nomen Monostor, ritu Graeco cum Rasciis et Armenis sua sacra accurrant.

Ritus Armeni Sacerdotes in Transilvania, ante suam cum sede Romana unionem, usui Ecclesiae orientalis conformiter, maximam partem erant uxorati, et suam quisque uxorem etiam post unionem retinuit; at deinceps usus hic sensim exolevit, et clerus Armenus circa disciplinam coelibatus, accommodavit se praxi Ecclesiae occidentalis. Armenopoli hodieum exstant pia legata pro sacris, a sacerdotibus pro se et consortibus facta. Parochus Elisabethopolitanus Joannes Edilbei ab Episcopo Armeno Oxendio anno 1708. die 20. Julii in sacrum curionem loci denominatus erat uxoratus ut docet hoc Decretum visitationis Stephani Stephanovies Apostolici Ecclesiarum Armenarum in Transilvania visitatoris de anno 1729, ubi inter alia legimus: „Cellae in area ejusdem Ecclesiae pro R. Sacerdotibus fabricentur, ne illi deinceps in oppido sparsim habitantes periculum Sacerdotalis honestatis incurvant, excepto solo R. Joanne moderno Parocho, qui utpote uxoratus, ob justas causas excusatur. Idem Stephanovics Georgio Zorger Episcopo Transilvaniae anno 1735 in gremium Ecclesiae recipiendum commendat sacerdotem peregrinum Schismaticum uxoratum, exemplo Parochi Camenecensis probans; conjugium apud clericum Armenum etiam Catholicum etiamsi rarum, inusitatum tamen prohibitumque non esse. „Sacerdotem illum (inquit) qui in Moldavia ac haeretico Legato Armeno male tractatus, profugit istuc, gratiae Excell. Vestrae humiliter commendo, quatenus ipsum ad gremium sanctae matris Ecclesiae admittere non dedigneatur. Nec obstat quod ab Episcopo incerto, an fuerit ille Catholicus nec ne, consecratus fuerit. Nam tales absque numero veniunt Romanam, ubi, dummodo professionem Catholicae fidei emittant, et si aliqua innodati fuerant irregularitate, obtineant absolutionem, statim ad communionem Sanctae Ecclesiae admittuntur. Apud nos non pridem obiit R. Plebanus Camenecensis uxoratus, unde Excell. v^a ex sua gratia dignabitur hunc bonum Sacerdotem ad professionem Catholicae Fidei et ad absolutionem ab irregularitate casu quo in eam inciderit admittere.

Ultimus qui auctoritate sedis Apostolicae Visitatoris apud Transilvanos Armenos officio est functus, fuit is, cuius saepe meminimus, Stephanus Stephanovies Roska, Archiepiscopi Leopoliensis ritus Armeni, Vicarius, Praepositus Stanislaviensis,

Hic instituta anno 1729 Ecclesiarum Armenarum visitatione, congrua in singulis circa domus Dei decorum, cultus divini servandi et officii recitandi ordinem, Sacramentorum ac Sacramentalium administrandi rationem praescripsit, plures tum Armenopoli cum Elisabethopoli et in Gyergyio-Szent Miklos erexit pias confraternitates, praecipuam vero curam et sollicitudinem Apostolicus hic visitator in eo adhibuit, ut in praemissis non minus ac in Jejuniorum observatione et in Festorum celebratione, atque adeo in ritu universo, sublata diffinitate omni, perfectam introduceret stabiliretque in dictis Ecclesiis uniformitatem.

Eapropter mandavit, ut idem ubique servaretur Directorium, idem Rituale, iidem essent libri liturgiei, idem Missale, ut hac ratione id ipsum non modo sentirent et dicerent, sed et agebant ac observarent omnes, quicunque Christiano-Catholico censerentur nomine in hoc Principatu Armenii, nec essent inter illos divisiones et Schismata. Cum autem probe nosset, unitatem, quae veram Christi Ecclesiam, cuius nota est propria charactistica, adeo bene ornat, sine capite, sine centro et vinculo unitatis conservari non posse, voluit ut semper adesset aliquis ex clero Armeno qui vicarii aut Archidiaconi omnium per Transsilvaniam Armenorum autoritate et dignitate instructus, fidei unitati et cultus divini uniformitati inter eos conservandae invigilaret. — Qui proin e natione assumtus, linguam, ritum, mores et instituta gentis nosset. Quare in Decreto visitationis Ecclesiae Elisabethopolitanae, autoritatem Michaelis Theodorovics, qua Archidiaconi ab Episcopo Joanne Antalfi tantisper suspensam, sua visitatoris Apostolici autoritate restituit et confirmat. „Praeterea mandamus (inquit) ut eidem R. Archidiacono sicut Armenopolitani et Szent Miklosenses caeterique in Transilvania Armeni sunt obedientes, ita etiam Elisabethopolitani omnino ut superiori suo pareant, ut in hac re sit unum ovile et unus Pastor, et licet piae memoriae Illustrissimus D. Antalfi, certis rationibus inductus, id in suspenso ad tempus reliquerit, cessantibus tamen modo eis rationibus, nos auctoritate visitatoria hoc mandamus et praecipimus.“ Saepe fatum Archidiaconum Theodorovics vero in Decreto Armenopolitano hortatur his verbis: „Admodum Reverendum Patrem Michaelem Theodorovics non solum uti primum Plebanum harum Ecclesiarum Armenopolitanarum, sed etiam uti Archidiaconum hujus Provinciae Armenorum exhortamur in Christo, ut sicuti hactenus

sedulus vineae Christi operarius Fideique Catholicae exstitit propagator, ita et in posterum talis semper existat, Presbyteros et Populos sibi creditos hic (Armenopoli) et alibi in Charitate et iustitia juxta legem Domini et Sanctac Romanac Ecclesiae instituta regat et iis omnino invigile.

Ex precibus nihilominus quas Stephanus Stephanovics pro Michaele Theodorovics in officio Archidiaconali confirmando, apud Georgium Zorger Episcopum identidem fudit, nec non ex petitione cleri Armeni ad eundem Praesulem eo fine directa, ut aliquem e gremio cleri Armenici Vicarii aut Archidiaconi Armenorum dignitate ornaret, concludimus, negotium isthoc diu satis haesisse, atque praefatum Theodorovicsium in munus Archidiaconi aut omnino non, aut sero nimis idque ad breve tantum tempus repositum fuisse. Preces Visitatoris Apostolici pro restaurando in persona Michaelis Theodorovics Archidiaconatu apud supra laudatum Praesulem interpositae habentur in litteris ex Gyergyo Szent Miklos die 2. Decembris 1729 exaratis in verbis: „De praemissis sieut etiam de aliis Admodum R^{dus} Pater Michael Archidiaconus Armenorum per hanc Provinciam oretenus fusius exprimet, quem gratiae Illustrissimae D. Vestrae, uti optime meritum de fide catholica inter nationem istam Armenam propagatae humillime recommendo, ut in officio in quo a felicis recordationis Praedecessoribus Illus^{mæc.} D. V^{ræ}, fuit confirmatus permaneat.” Item in aliis Stanisleopoli die 18. Febr. anno 1730 ad eundem piae memoriae Praesulem scriptis, ubi legimus: „Admodum R. Pater Michael Archidiaconus, qui post fata Illustrissimi D. Oxendii de Catholica Fide inter nationem suam propaganda optime meruit, in omnibus satis bene laborat, ideoque dignus est, ut in suo confirmetur officio ab Ill^{sma}. D. V^{ræ} quod supplex oro.” Petitio demum cleri Armeni Transilvani ad Episcopum Zorger directa, quaeve decem punctis ritum et disciplinam tangentibus absolvitur, unionis Ecclesiarum Armenarum sub uno capite necessitatem et finem exponit in sequentibus: Ad haec autem firmius roboranda, humillime instat clerus Armenianus in Regno Transilvaniae, ut unum e clero, qui ritum nostrum bene calleat, et illius aetatis sit, ut commissa praestare possit, Vicarium aut Archidiaconum vel quovis tandem nomine nuncupandum constituere benigne dignetur, qui suae Excellentiae in omnibus subjiciatur, ceteri autem cum universis auditoribus eidem obsequi

teneantur ac authoritatem expresse delegatam habeat, ut omnia (Episcopalem tamen authoritatem non attingentia) corrigerem, emendare ac tandem pro delicti gravitate punire valeat atque possit.

Ast preces has effectu caruisse eventus conprobavit Archidiaconatus enim Armenorum suppressus mansit. Sublato hac ratione unitatis vinculo divisioni initium datum: Pro uno scilicet duo instituti pro Armenis Districtus et totidem creati Archidiaconi nempe, districtus Armenianopolitanus, cui sola Armenopolis et Elisabethopolitanus, cui praeter Elisabethopolim Gyergyó Szent Miklós et Szepviz Armenae subessent Parochiae¹⁾) Analytica haec operatio continuata atque Gyergyo Szent Miklósenses et Szepvizienses ab Elisabethopolitanis separati, illi Gyergyoensi, hi Csik-Superioris Districtui Latino sunt ingremiati, imo ne hic quidem stetit Armenos assimilandi studium, sed honoris Archidiaconalis praerogativa apud Armenos relicita Districtus Armenianopolitanus in Szolnokensem, Elisabethopolitanus autem in cognominem abiit Latini ritus Districtum. Unio scilicet Ecclesiarum Armenarum in Transilvania sub uno capite, quantumvis illud ab Episcopo dependeret, sudes erat in oculis. Tristissimi effectus, sublatae inter Armenos unionis, per suppressionem Archidiaconatus generalis, brevi se manifestarunt.

Sublata quippe unione, sublata simul est in ritu unitas atque uniformitas, et sparsum inter Armenos semen divisionis ac discordiarum, et jactum fundamentum difformitatis in ritu, quae in hodiernum perdurat. Ecclesiae Armenae quae pulcherrimo unitatis vinculo inter se antea junctae, unam quasi parvam Ecclesiam orientalem Armenam in hoc Principatu constituebant, et quibus antea, emergente necessitate, Archidiaconus, cui Ecclesiae non secus ac Ecclesiastici ritus Armeni optime cogniti erant, de sui ritus animarum Pastoribus, annuente Episcopo, providebat, Sublato nexu, ab invicem separatae et sibi relictae, singulae seorsim et singillatim de Sacerdotibus, ut potuerunt sibi prospicere debuerunt, quo factum, ut nonnullae quandoque, per longius tempus, proprii ritus animarum rectore destitutae, Latini ritus administratores acciperent. Pejus his adhuc illud est: quod Armeni extra Parochias ritus Armeni degentes, qui antea omnes sine discriminē jurisdictioni generalis Armenorum Archidiaconi

¹⁾ Benkő Historia Transilvaniae ad annum 1766.

parebant, quive idcirco omnes, ubicunque de cetero in Transsilvania habitarent, tanquam veri et genuini ritus Armeni fideles, proximis sibi hujus ritus Ecclesiis Parochialibus erant ingremiati, unde ipsis Sacraenta et reliquae functiones Parochiales administrabantur, et ad quas vicissim illi in majoribus Festivitatibus et conscientiae expiandae causa saepius per annum accurrebant; suppresso, qui eos in officio contineret, et ritus Armeni exercitium apud eos urgeret, Archidiaconatu, a corpore nationis segregati et ab Armeni ritus Parochiis avulsi non sine fidei catholicae detrimento, offensione et scandalo vicinorum in Bucovina, Moldavia et Valachia Armenorum Schismatieorum, jurisdictioni Parochorum Latini ritus, Locorum, in quo quisque eorum commoratur sint subjecti, unde repetendus abnormis ille et ferme inauditus in rituum Historia status, ut Armeni ad quadrantis aut ad summum horae unius distantiam ab Armena Parochia habitantes, ritum suum exercere non valeant, sed hoc ipsis interdicto, sacra ritu Latino accurare jubeantur.

CAPUT XVI.

Punctum Caesareo-Regii Privilegii Armenorum circa Sacra Dotatio per gloriosae memoriae Imperatorem Carolum VI. pro ritus Armeni Episcopo facta. Conatus Armenorum pro suscitate Episcopatus Armeni in Transsilvania, refragante cathedra Albensi effectu frustrati.

Punctum undecimum Caesareo-Regii Privilegii, quod Armenopolitani anno 1726. ab Imperatore Carolo VI. impetrarunt, et quod Maria Theresia et Josephus II. augustissimi confirmarunt, ordinat res sacras Armenorum in Transilvania. Tametsi vero nos memoratum Privilegium in parte operis ubi de rebus civilibus Armenorum egimus, per extensum adduximus, nihilominus tamen operaे pretium nos facturos existimavimus, hoc loco, ubi de Sacris Armenorum nobis sermo est dicti Puncti memoriam renovasse, cuius tenor sequens est: undecimo cum demum humana industria a Divina benedictione felicitatem sortiatur, aequum existimamus ut etiam quoad directionem Ecclesiastice ministerii congruum quid statuatur, unde annuimus clementer, ut

praeprimis hoc oppidum Ecclesiam Romano-Catholicam numeri incolarum capacem exstruere, vel jam exstructam pro ulteriori spirituali necessitate dilatare queat, benigne confidentes, quod si quidem prima cura Divini cultus sit, hoc oppidum curabit, ut ministros Ecclesiastieos habeat, pro spirituali administratione necessarios et debitum ac congruis qualitatibus instructos ab eodemque oppido sufficienter beneficiandos, qui a Transsilvaniensi Dioecesano Romano Latini ritus dependebunt, cuius officii erit invigilare utrum ritus Armeno-Catholicus debite ibidem et alibi observetur, et an damnati errores Haeresiarcharum aequae ac Armeno-Orientalium, nominauter Eutichetis et Dioscori ac aliorum hac natione exulent. Praeterea idem Dioecesanus sollicitam geret curam, ne cultus privatus, minus publicus in hoc nostro principatu Armenis non Romano-Catholicis ullo modo permittatur, aut praespecificatorum errorum sequaces intromittantur, vel tolerentur, excepto si eorum unum vel alterum solius quaestus causa Provinciam transire et idecirco temporanee tantillum inibi morari contingeret aut opporteret.

Huic concordat punctum quartum privilegii Elisabethopoli, nisi quod verba: Qui a Transilvaniensi Dioecesano Romano Latini ritus dependebunt, in Elisabethopolano habeantur hoc modo: „Cumque illi a Transilvaniae Dioecesano Romano Catholicio Latini ritus dependent, hinc et Dioecesani officium erit eo invigilare ut ritus Armeno-Catholicus debite ibidem observetur.” Unde non minus ac ex toto contextu haud obscure intelligere licet piissimum Caesarem externam duntaxat ministerii sacrif directionem et oeconomiam, quantumquidem id salus et incolumitas civitatis, pax et bonum temporale subditorum postulat ordinare voluisse, nequaquam vero in spiritualia involare et Jurisdictionem proprie talem Latini ritus Transilvaniae Episcopis in Armenos conferre intendisse, sed habita ratione status dependentiae, in quo tempore emanationis praecitati Privilegii reperiebantur Armeni, Episcopis Transilvaniae committit; curarent, ut ritus Armeno-Catholicus Armenopoli Elisabethopoli et alibi in Principatu inter Armenos debite observetur, Haereses ac Haeresiarchae civitati non minus ac Ecclesiae noxii exulent.

Sensu a nobis in praecedentibus exposito acceptum a coaevis fuisse, allatum privilegii Armencrum punctum, luculenter probant duplices Stephani Stephanovics Apostolici visitatoris ad piae

memoriae Episcopum B. Georgium Zorger exaratae Litterae, in quarum quidem primis de dato 2. Decembris 1729 innuit: se Punctum in quaestione positum Roman missurum, ut specialis inde laudato Praesuli potestas in Armenos, quam praedecessores Episcopi habere desiderassent conferretur. In altera vero de dato 18. Februarii 1730 significat, se Viennam Nuncio Apostolico, Romam autem Sacrae Congregationi de impertienda Episcopo Transsilvaniae praefata jurisdictione scripsisse.

Sed ut sua dictis fides constet, audiamus verba dictarum Epistolarum, itaque in prima legimus: „Punetum ultimum ex Privilegiis Caesarianis, a me extractum, quoniam Personam Illustrissimae D. Vestrae concernit, hic accludo, et similem copiam etiam S. Congregationi Romam transmittam, ut specialis inde Illustrissimae D. Vestrae potestas supra illos Armenos Transilvanos committatur. Nam ut mihi relatum est a praefato Patre Michaelae (Theodorovics) et aliis, Praedecessores Illustrissimae D. V. eam potestatem desiderarunt habere.” In altera autem: „Hac ordinaria (inquit) Viennam ad Illustrissimum D. Nuncium et Romanum ad S. Congregationem scripsi, reddens rationem visitationis a me isthic peractae et simul supplicavi de peculiari potestate Illustrissimae D. Vestrae concedenda (de quibus in antecedentibus meis Litteris innueram) qua Illustrissima D. Vesta autoritatem suam ordinariam in consules (senatores) Armenorum, ne Ecclesiasticis viris et rebus se ingerant, debito modo exercere valeat.”

Datam autem reipsa esse aliquando a sancta sede hujusmodi potestatem sive illius temporis Antistiti Baroni Zorger, sive ejus successoribus nuspia legimus. Certe Ignatius Comes a Batthyani Episcopus Transsilvaniae, qui, in sua, quam anno 1786. cum ritus Armeni Archiepiscopo Leopoliensi circa Jurisdictionem in Armenos Transilvanos habuit controversia, unitis cum Capitulo Albensi viribus, discussis cunctis Dioeceseos Tabulariis, rationum momenta, quibus suum in dictos Armenos jus vindicare posset, solertissime disquisivit, dictam potestatem sibi, aut suis antecessoribus datam producere non intermisisset, Oraculo sedis Apostolicae jus in quaestionem vocatum extra omnem dubitacionis aleam collocaturus et causam totam sententia Romae lata terminaturus: quin potius ingenue fatetur totum hoc qualecunque jus, praxi duntaxat et consuetudini inniti, atque ad summum juri

a reciprocitate sumto, quod et Oxendius Armenus Episcopus in defectu Praesuluni Latinorum simile olim jus in hujus Fideles exercuisset.

Provisoriam fuisse praecitatem altissimam gloriosae memoriae Imperatoris Caroli VI. ordinationem dubitare nos porro non sinit, factum ejusdem Augustissimi Imperatoris et Regis Apostolici, vere apostolicum, quo pro innata Augustae Domini austriacae Principibus pietate et clementia, ritus Armeni in Transsilvania Episcopatus restorationem, sibi et successoribus reservata Episcopi denominatione et presentatione anno 1737 clementer resolvere atque pro ejus intertentione ex summa inscriptionali Dominii Szamosujvár duodecim mille Rflorenos donare dignabatur, legimus hoc in Privilegio per eundem gloriosae reminiscentiae Imperatorem anno 1838 nationi Armenae Szamosujvariensi benigne collato in verbis: „Nos vero ut Armenae in Transilvania nationi sanctae Romano-Catholicae Ecclesiae ibidem unitae, ut ex suo pariter unito clero Episcopus admittatur, ejusdem Denominatione et Praesentatione Majestati nostrae semper reservata, clementer resolverimus, ac pro intertentione seu mensa Episcopali annuatim sexcentos florenos Rhenenses pendendos, pro reali seu hypothecario fundo autem in capitali duodecimi mille florenos Rhenenses, ex supra fata centum millium florenorum Rhenensium pro Dominio Szamosujvár ultimatum dependenda summa prae manibus ipsius communitatis, quoisque fiscalia bona aut aliis fundis ejusdem valoris ocurreret relinquendos constituerimus, vigore benignae Resolutionis nostrae per cameram nostram Aulicam de dato in hacce civitate nostra Vienna Austriac die octava mensis Maji Anni jam praeteriti Millesimi septingentesimi trigesimi septimi ad Regiam cancellariam nostram regio Aulicam Transsilvanicam intimatae clementer danda, donanda, conferenda et inscribenda duximus.

Probat porro quod Augustissima Imperatrix et Regina Maria Theresia declaratam in superioribus desideratissimi sui Genitoris voluntatem, intuitu restorationis in Transsilvania Armenici Episcopatus, effectui datura, altissima resolutione die tertia Decembris anno 1746 edita, Michaeli Theodorovics Protonotario Apostolico et Parocho Armenopolitano emerito, ex memoratorium superius duodecim millium florenorum per Carolum VI. pro

fundando Episcopatu Armeno legatorum. Annuo interusurio 500 fl. titulo compensationis praetensionum ejusdem adversus communitatem Szamosujvariensem formatarum, atque in recompensationem expensarum et fatigorum pro sollicitatione et inpe- tratione Dominii Szamosujvar et erectione Episcopatus Armenici praestitorum, disertis verbis tantum eousque persolvendos decreverit, donec Episcopus Armenicus effective donominatus fuerit. Quod si vero (verba sunt altissimae resolutionis) priusquam dicti Michaelis Theodorovicsii excontentaretur praetensio, Catholicum Armeni ritus Episcopum in Transsilvania, denominari continget, residuum praetensionis ejusdem per Armenam communita- tem Szamosujvariensem suppleatur et bonificetur.

Quod tamen his non obstantibus Episcopatus Armenicus restauratus non sit, sufficientem invenimus causam, in adversis temporum illorum adjunctis et praesertim in memorabili relatio- ne, quam capitulum Albense anno 1786 praestitit Episcopo C. Ignatio Batthyani, super postulatis Archiepiscopi Leopoliensis Armenos Transsilvaniae suee esse jurisdictionis, contendentis cuius quidem relationis, quam suo loco per extensum dabimus, verba quae- huic faciunt, sunt: „Verum quidem est, quod sub priorum Episcopo- rum Transsilvaniensium regiminis tempore, memoratus in addu- cta Historia Parochus Szamosujvariensis Michael Theodorovics cum iisdem suis Parochianis multum apud Augustam aulam elab- boraverit, ut distinctum nancisci possent sui ritus Episcopum et ut is idem ille Michael esse posset, atque in hunc finem fundum etiam pecuniarium pro illius mensa undecunque demum congre- gaverint. Verum enimvero praeterquam quod latini Episcopi Transsilvani his eorum conatibus usque adeo adversati fuerint, ut res ad hodiernum usque adhaeserit, iisdem conatibus eorum ad- versarios se praebuerunt Ebesfalvensis Clerus et populus malle se se porro quoque iisdem Episcopis latinis subesse declarantes.

Intuitu hujus summae fundamentalis, quae in manibus electacae communitatis Armenopolitanae erga annum interusurium re- licta est, ad preces cleri et communitatis Armenopolitanae piissimae reminiscentiae Imperatrix Maria Theresia virtute benigni Decreti aulici die 1^{mae} Februarii anno 1776 emanati clementer annuere dignata est; ut praefata summa capitali in sua integri- tate permanente, census exinde profluens in aedificationem et con- servationem Ecclesiae Parochialis atque intentionem Sacerdo-

tum cedat, quemadmodum hoc gratosae excelsi Regii Gubernii commissionales eodem anno 1776 die 1^{ma} martii sub Nro. 938 emanatae perhibent. Idem uberius confirmatum Decreto immortalis memoriae imperatoris et Regis Apostolici Francisci 1. die 2. Novembris 1820 Nro. 10981. edito.

Fundum hunc in rationem mensae Episcopalis impetravit Michael Theodorovics qui et Dominium Szamosujvar communiat Armenopolitanae a gloriosae memoriae Imperatore Carolo VI. obtinuit. Idem jam de aliis etiam fundis in praedictum finem prospexerat, atque ipsa natio id temporis needum cessaverat, certam pecuniae summam piae memoriae Oxendio dum vixisset, annue pendi solitam, creando Episcopo cedendam, in commune conferre, ut ad praestitutum finem aliud nihil quam Episcopi deesset denominatio.

Non potuit aequo animo ferre tantos et tam celeres Theodorovicsii progressus cathedra Albensis, ad eos igitur ocyus stendos, nihil non egit, quo ipsum, in quo summa rei vertebatur, adeo exosae sibi causae promotorem et propugnatorem quovis pretio everteret, nec querenti, occasio defuit; ministros se consiliorum peropportune praebentibus quibusdam Presbyteris Armenopolitanis. Qui Praelatum eumque suum benefactorem, incertum quo stimulo ducti, apud Episcopum Georgium Zorger, horrendi, ut vociferabantur flagitiis reum detulerunt, visam scilicet a se in domo Theodorovicsii Parochi et Archidiaconi plena luce, seminam inquiebant, nec mora, alia medio et sub influxu Delaterum Armenopoli, alia per evocatos testes Albae-Carolinae instituitur investigatio, auditii testes, exceptae fassiones et licet quae scripta essent, alii a se unquam dicta, palam negarent, alii revocarent, hoc tamen non obstante Theodorovicsius utut absens et non auditus reus declaratur, censuris afficitur, muniis privatur Magistratus populusque Armenopolitanus cui innocentia Parochi sui, qui tum Viennae nationis negotia procurabat, probe perspecta erat, contra iniquam, violentam et legibus contrariam procedendi rationem nequicquam reclamare, propriis, aliorumque inter quos Theodorovicsius versatus fuerat testimoniis ejus in Fidem Catholicam, ritum et gentem Armenam merita et vitae integritatem comprobare, apud Nuncium Apostolicum Viennensem de cathedrae Albensis violentiis queri. Ille nihilominus praepotenti adversariorum suorum astui succubuit. Litterae quippe ad Epi-

scopum Zorger venerant, quae referebant; Theodoroviesium Mitram ambire et sibi Viennae procurare, atque hoc abunde sufficiebat ut pro secleratissimo haberetur. Metuebatur cum primis magna viri in rebus gerendis dexteritas, et non vulgaris qua Romae et Viennae valebat gratia. Et re ipsa alter hic ab Oxendio gentis sua stator, restituturus hoc tempore erat Episcopatum ritus Armeni, ni cathedra Albensis ejus conatibus restitisset, quem admodum ingenue fatetur ipsum Capitulum Albense, in sua ad Postulata Archiepiscopi Leopoliensis opinione die 13 septembris anno 1786 piae memoriae Episcopo Ignatio Bathyanus data, in verbis: „Verum equidem est, quod sub priorum Episcoporum Transilvaniensium regiminis tempore, memoratus in adducta Historia Parochus Szamosujvariensis Michael Theodorovics, cum iisdem suis Parochianis multum apud Augustam aulam elaboraverit, ut distinctum nancisci possent sui ritus Episcopum, et ut is idem ille Michael esse posset, atque in hunc finem fundum etiam pecuniarium, pro illius mensa undecunque demum congregaverint. Verum enimvero Latini Episcopi Transilvani, his eorum conatibus usque adeo adversati fuerunt, ut res ad hodiernum usque adhaeserit.“ Haec verba, opinor, clariora sunt, quam ut commentario indigerent.

Monumenta Litteraria, quae hue faciunt, quamquam prolixiora sint, quam operis hujus ferret ratio, nihilominus tamen partim ne quid asseruisse videamus, quod in continent non probaremus, partim quia illa, quavis historica deductione, rei ut gesta est, seriem evidenter p[ro]ae oculis sistunt heic ea in extractu sub jungimus.

Litterae Armenianopolitanorum ad Excellentissimum D. Dominicum Passionei Archiepiscopum Ephesinum. Clementis XII. ad Carolum VI. Imperatorem Nuntium Apostolicum in causa Theodoroviesii anno 1737 exaratae.

Quemadmodum Sacratissima sua gloriose regnans Majestas ex innata sua in omnes Christianos clementia et rem publicam Christianam indefesso studio ampliandi, Nos nationem Armenianam, qui excusso jugo Turcico, abjuratoque simul orientalium nationum schismate, et amplexa religione Catholica eidem Majestati perpetuam sp[iritu]o sp[iritu]o fidelitatem sub suam clementissimam Protectionem non tantum recipere, et concivium hujus Principatus numero adscire et aggregare benignissime dignabatur, verum

etiam in sua terra fiscalis ut imperturbate et citra quaslibet impenitentes degeremus, collocatos voluit, ita nobis pro instantia primaria in rebus politicis ac civilibus excelsam suam aulicam cameram concomitanterque supremam hic terrarum cameralem Directionem, a cuius nutibus dependeremus et per quam protegerezur praeposuit ac denominavit. Quoad vero Ecclesiastica et spiritualia ab eo tempore quo bonae reminiscentiae Episcopus Axendius supremum diem clausit, dirigimur quidem ab Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Transilvaniensi et venerabili capitulo Albensi, ast quantas perferre debeamus molestias, et si fas sit dicere etiam vexas non absque doloris sensu Reverendissimae celsitudini vestrae sub spe gratiosae remedurae referre per humillimas preces necessitamus.

Postquam per Divini Numinis benedictionem crepti prioribus calamitatibus sub quibus ingemiscebamus et semotis erroribus abrogatisque vanis ritibus quibus involvebamur, oppidoque sub caesarea clementia et Protectione hic terrarum non ultimo a primis fundamentis erecto, eo nostrum statum propitio Deo pervenisse vidissemus, ad exemplum aliorum Catholicorum ea quoque concepimus consilia, quae gloriam Dei, Romanae Ecclesiae propagationem, rem spiritualem et animarum Salutem immediate respicerent, ut per hoc quoque documenta daremus nostris Posteris de orthodoxa religione quam profitemur. . . . Communicatis proinde nostris facultatibus et viribus in Ecclesias erigendas unanimes adjecimus animos, quisque nostrum a proportione suorum mediorum in harum erectionem contribuimus, ut accepta a Deo beneficia ejusdem gloriae communicaremus. Ecclesiis itaque in aliquem statum positis, subiit etiam cogitatio de necessariis harum ministris ac Sacerdotibus, ut quidquid pro Gloria Dei et animarum salute requireretur nostra ex parte nihil non impenderetur, quod ut consequeremur, non pepercimus expensis, non recusavimus largitiones, assumsimus de nostra gente, bonae ut putabamus speci sed tenuioris in haereditate paterna fortunae adolescentes, quos nostris sumtibus et beneficiis eo promovimus ut Romae et alibi emensis studiorum cursibus, in Sacerdotes suae et nostrae genti ut sperabamus exemplariter servituros evaderent, naeti fuerunt manuductorem et simul apud nationem advocationem tyrones isti Reverendissimum D. modernum nostrum Plebanum Archidiaconum in Transilvania et Protonotarium Apostolicum Mi-

chaelem Theodorovics, qui exemplo Apostolorum fortunarum suarum contemtor, licet zelo indefesso nostrae et praesertim rudiorum adventantiumque conversioni alter post Episcopum Axendium nullo non tempore insudaret, eo tamen beneficia sibi qua Plebanio competentia liberaliter ac sponte convertit, ut hae quoque Sacerdotum novellae pro gentis solatio, animarum conversione et salute honeste subsistere possent et nullus concivium spiritualibus mediis in necessitate destitueretur. Sed proh dolor! quam diversus effectus a nostra Benefactorum intentione, nutritivimus ejusmodi Tyrones ut fierent grati, eveximus ut praerirent hono exemplo, reducees ex universitatibus amice suscepimus, ut participes beneficiorum oneribus quoque spiritualibus humeros subjiciant, sed ecce primum detestabilis ingratitudinis exemplum in praefatum Reverendissimum D. Plebanum Theodorovics (enī fortunam suam magna ex parte adscribere deberent) ab illis demonstratum. Non enim erubuerunt aliquot eorum . . . praescitum Reverendissimum D. Michaelem Theodorovics, virum alioquin nostro testimonio vitae irreprehensibilis et exemplaris, in spiritualibus indefessum, de nostra gente et conversione ita meritum ut ejusdem vita nobis continuae sit consolationi, obitus vero futurus incredibili dolori, huic quippe nostram felicitatem in utroque statu attribuimus, mordacibus adeo linguis adoriri, sugillis afficeri, multa perperam cum laesione conscientiae eidem imputare, venerabile capitulum Albense ejusmodi sinistris informationibus praevenire. Ex quo vero capite tumultuosi Sacerdotes argumentum depromiserint antelatum D. Plebanum deferendi, culpandi ac dehonorandi, illud hic haud silentio mittimus, eeu gravissimum illorum judicio et immatura opinione reatum, videlicet in cubiculo Plebani a quodam Sacerdote visam fuisse feminam.

Nos inficias ire haud possumus, nostras et nostratum feminas frequenter adire debere et necessitari Plebanum, vel contra maritos a quibus durius tractantur, vel contra generos aut nurus in talibus casibus conquestum, qui immediate propalari sine dispendio honoris nequeunt, sed bonorum Plebanorum consilio sopiuntur. Dantur etiam tales viduae vel etiam maritos habentes feminae, quibus domi nulla supellex, nulla vivendi facultas, verum dum earum mariti famulando vietitant, illas mendicatum ire pudet, sed Pater Plebanus pro ejusmodi Personarum sustentatione absque nota publicae mendicitatis aliquid a Communitate

colligit, et praedictis egenis distribuit, ex quo tamen pietatis uti credimus facto, coram Deo et toto mundo testamur contra Plebanum nihil unquam auditum fuisse, quod ejus nomini labem, officio naevum, moribus maculam, integritati suspicionem aliquando inurere posset, imo conscientiose nostram conversionem, multarum inutilium et proprie anilium ceremoniarum post Episcopum Axendum abrogationem, eidem grati attribuimus. Eumque de vitae probitate, exemplarium morum pietate atque zelo indefesso non recommendare nefas dueceremus.

Vir quippe est qui dum spiritualibus ad amussim fungitur ad ea quoque quae nostram temporalem felicitatem concernunt apud excelsa et inlyta Dicasteria singulari auctoritate pollet, nihilque pro nostro stabilimento negligit, quodque a Sacratissima sua Majestate Dominium Szamosujvariense consecuturi simus ipsius industriae et susceptis ad augustissimam aulam expeditiobibus nos et sera posteritas in acceptis referendum habebit. . . . At quia apud venerabile capitulo Albense haec parvam vel nullam considerationem sortita sunt, ad nostram summam disconsolationem subsequutum fuisse deploramus, quod praescitum capitulo sinistris permotum informationibus, diversas in Patrem Plebanum Michaelem Theodorovics inquisitiones, primiorum et seniorum civium ad Tribunalia citationes instituerit, quibus non tantum turbationes acreverunt sed et expensae, quibus omnino sana ratio et nota nobis praefati Reverendissimi Domini Plebani nostri innocentia parcendum suasisset. Porro in quantum causa haec per inquietos tres Sacerdotes contra Plebanum mota est, auditae fuerunt coram V. Consistorio eorum Denunciationes, instituta Tribunalia et reliqua quae Juris Ecclesiastici videbantur, etiam inquisitiones sed quomodo? denominantur duo Sacerdotes cum denunciante cointelligenter se habentes. Horum unus recusavit commissarium, ut agere possit testem, adhibitus est in ejus locum secularis quidam neque in comitatu bene audiens, exceptit contra Patrem Plebanum fassiones, sed qualiter? et an salvis anonibus? et utrum secularis in mores personae Ecclesiasticae inquirere possit? Scimus tamen effectum hujus inquisitionis etiam ex perjuriis accidisse, nam aliqui testium suas fassiones coram consistorio totaliter retractarunt, nonnulli denuo qualificarunt, alii denique dixerunt, se nihil eorum fuisse fassos, nec quidquam scire eorum, quae relata fuerant per inquisidores, experti deni-

que fuimus omnem illegalitatem praevaluuisse ex hoc inverso procedendi modo, et hujusmodi inquisitioni contra quam etiam actu excipimus, maiorem fuisse datam fidem, quam tota communitas consequi merebatur, verbo denique non ut Catholici reuniti sed infra tractamur, dum nobis trium aut quatuor privatorum fides praefertur.

Horum vero omnium seu defectuum seu exinde pravatum emergentium si penitus inspiciamus nulla alia radix aut origo est, quam quod ex gente nostra careamus Episcopo, qui e vicino specularetur acta nostra et cleri, atque defectuosis opportune mederetur. Habent hoc indultum a Sede Apostolica in Transilvaniae Principatu unita natio Valachica, ut e gremio suo Episcopo proprio gaudeant, et eur eodem indultu Armeni, cum simus etiam diversi ritus . . . frustrari deberemus. Ad haec S. Sedes Apostolica decursu conplurium annorum plures quos Roma ipsa educavit submisit Populo nostro operarios, at vero ex nullis instrumentis Litterariis erui potest, eosdem operarios subjici debere Jurisdictioni Episcopi Latini, unio forte cum S. Romana Ecclesia staret pro Episcopo Latino. Verum haec ratio nobis vacillare videtur. Nam non obstante eo, quod natio Valachica S. unioni subscriperit, nihilominus tamen ex suo gremio legit Episcopum et nos pariter ad evitandas tot inordinationes de gente nostra indulgente et opitulante Reverendissima celsitudine vestra eligendum saltem suffraganeum ardissime petimus.

Reverendissimae celsitudinis Vestrae

humillimi clientes

Gregorius Theodori Simai

Judex Armenopolitanus cum meis
duodecim senatoribus,

Testimonium Magistratus et Communitatis Szamosujvariensis.

Nos Judex primarius et senatus caeteraque communitas municipalis oppidi Armenopolis damus pro memoria, significantes omnibus quibus expedit universis. Quod cum nos certorum negotiorum nostrorum coram Augustissima Aula promovendorum causa Reverendissimum D. Michalem Theodorovics, qua plenipotentiarium nostrum Viennam Austriae delegassemus, ea omnino dexteritate negotia nostra procurasse experti sumus, ut nihil

corum quae ad promovendam rem nostram necessaria essent intermiscerit, quin summa cum laude nostrumque omnium peculiari consolatione et emolumento perageret. Quem tamen invidorum quorundam obtrectationibus, ob tot in communitatem nostram merita expositum, malevolorumque sinistris informationibus delatum esse, et ad praepediendam ejusdem promotionem, fictitiis nomine nationis universae usos esse Litteris contradictoriis dolenter intelligimus. Quare praesentium testimonio praefatum Reverendissimum D. Theodorovics, omni prorsus culpa, criminantium delationibus sibi innocenter inficta immunem esse, ac quicquid contra eum scriptum est, non nomine et scitu universitatis, verum ex privatorum quorundam machinationibus factum esse, ac ideo dignissimum, qui ob singularia, tam in religionem orthodoxam, quam in rem publicam Armenam merita, qui Praelaturam nostri consequatur, esse censemus. Quo super praesentes Literas nostras testimoniales usuali et authentico municipalis oppidi Armenopolis sigillo munitas extradedimus. Datum Armenopoli Anno millesimo septingentesimo tricesimo septimo, die vicesima octava mensis Julii.

Ego Gregorius Theodori

Judex Armenorum.

Nicolaus Notarius.

Extradatum per Alexandrum Kászony
juratum Armenorum notarium.

Testimonium sedis sieulicalis Gyergyó.

Nos Vice-Judex Regius, Jurati Assessores et Notarius sedis sieulicalis Gyergyó attestanur tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod Reverendissimus D. Michael Theodorovics Protonotarius Apostolicus, Armenorum in Transsilvania Archidiaconus et Plebanus Armenopolitanus in hac sede sieulicali Gyergyó, possessioneque Szent Miklos degentes Armenos saepius visitaverit, in religionis unione cum Romano-Catholica instruxerit, et ut vir Apostolicus in omnibus suis munib; se inter hic degentes Armenos exhibuit. Cujus industria et laboribus eo jam Armeni hujates sunt deducti, ut nostram ac etiam suam Ecclesiam sine omni discrimine frequentent, nostris veris Sacerdotibus aequo ac suis confiteantur et nostris Processionibus sub suo vexillo intersint, inter reliqua sua pietatis opera, plerique ex illis etiam diebus sabbatinis jejunant, verbo praeter novi et veteris Kalendarii discrimen, in omnibus vere Romano-Catholicos se exhibent et

profitentur, super quo hasce nostras Testimoniales dedimus. In possessione Gyergyó-Szent Miklós die quinta mensis Januarii. Domini millesimo septingesimo Trigesimo septimo.

Gabriel Gáborfi Vice-Judex Regius sedis siculicalis
Gyergyó m. p.

Thomas Puskás juratus Assessor sedis siculicalis
Gyergyó m. p.

Abrahamus Bernárd juratus sedis siculicalis Gyergyó
Assessor. m. p.

Andreas László juratus sedis siculicalis Gyergyó As-
sessor. m. p.

Josephus Baló m. p.

Joannes László m. p.

Stephanus Kézdi m. p. jurati assessores.

Testimonium PP. Religiosorum ordinis S. Francisci con-
ventus Csik-Somlyoviensis.

Nos Fratres ordinis minorum S. Patris nostri Francisci Seraphici de strictiori observantia, omnibus quibus in Domino expedit universis tenore praesentium fidem facimus sinceram ac indubiam, in quantum scilicet Reverendissimi Domini Michaelis Theodorovics pro nunc et hic in Principatu Transilvaniae inelytiae nationis Armenorum Generalis Vicarii vita et conversatio cum incremento Ecclesiae Catholicae enituerit, attestantes post mortale fatum Reverendissimi ac Illustrissimi Domini Oxentii Verzereskul Praesulis quondam Missionarii Gentis praememoratae, neminem hujus nationis tanto spiritu Machabaico cum in abolendis Armenorum pristinis superstitionibus, tum in reducen- do ad unionem Fidei orthodoxae desudasse, quantum praenominatus noster Reverendissimus Dominus Michael Theodorovics justitiae Fideique in horrea Domini fruges comportando fecerit experimentum. Datae in conventu nostro Csik-Somlyoviensi or- dinis praefati ad S. Mariam Virginem visitantem. Anno 1737.
30 Januarii

Ita est

F. Franciseus Gáspár
p. t. Guardianus m. p.

De posterioribus viri memorabilis fatis parum admodum annales nostri memoriae prodiderunt; privatus is deinceps usque

annum 1760 quo fatis cessit vixerit est necesse, nisi forte unicūm ejus actum excipias, quo anno 1752 conventioni Armenopolitanos inter et Elisabethopolitanos eatebus initae, ut ritus Armeni Parochiam Szépviziensem alternatim dictae Ecclesiae Sacerdote provideant. Theodoroviesium primo loco subscriptum invenimus. Cacterum inde ab anno 1737 in munere Parochi et Archidiaconi Armenopolitani eidem suffectum legimus Lucam Verzeresky, quo Parochio anno 1748. jaeta sunt Armenopoli novi Templi Parochialis fundamenta.

CAPUT XVII.

Sacerdotes Armeni Romae sumtibus collegii Urbani educate a S. Propagandae Fidei Congregatione ad Missiones deputantur. An decretum S. Congregationis de non mutando rito, pro Armenis Poloniae latum, ad Transilvanos extendendum?

Inter innumera maternae pictatis argumenta, a S. Sede Apostolica Romana, pia hac gentium matre ac magistra, erga tenellam in Dacia, Ecclesiae orientalis Armeno-Catholicae planulam contestata, illud haud postremo censendum est loco: quod Juvenes Transilvanos Armenae nationis, statum Sacerdotalem amplecti cupientes, in collegium Urbanum receperit et sumtibus S. Congregationis educari ac institui fecerit. Qui susceptis Romae sacris ordinibus in Patriam reversi, etiam deinceps atque per totum vitae tempus sub immediata S. Congregationis de Propaganda fide, cuius alumni erant inspectione et dependentia permanerunt, ad ejusdem S. Congregationis dispositionem ac mandatum tum hic in Transilvania, tum alibi, sacris missionibus inter Armenos obeundis, operam suam impendere obstricti. Anno 1751 duos invenimus beneficio sedis Apostolicae institutos, ad vineam Domini excolendam, Roma in has oras missos operarios, quorum destinationem S. Congregationis Litterae ad Episcopum Transilvaniae L. B. Sztoyka datae uberioris pandent.

Ille et Rme Dne uti Frater!

Revertuntur in suam Patriam Joannes Karáeson et Joannes Jakabfi, qui per plures annos in hoc urbano collegio versati multa

cum laude ingenii ac virtutis Lauream Doctoris in Philosophia et Theologia consecuti sunt. Denique sacro Presbyteratus ordine suscepto, jussu sacrae hujus congregationis discedunt ex collegio, ut sacris missionibus obeundis operam suam ac laborem impendant. Praeclaros hos juvenes Amplitudini Tuae nomine etiam hujus Sacrae congregationis magnopere commendō, cui rem gratissimam feceris, si ipsos, qua soles paterna benevolentia complectaris. Postremo Deum precor ut Ampl. tuam sospitem et incolumem tueatur. Romae 3 Julii. 1751.

Horum alter Joannes scilicet Jakabfi a praefata S. Congregatione anno 1757 in Valachiam missus, multa ibidem et in vicina Moldavia pro Fide a Schismaticis passus, tandem meritis plenus abiit anno 1791. Armenopoli qua loci Parochus. Litterae patentales, quibus vir hic zelosus ab Augustissima Imperatrici Maria Theresia instructus, ad memoratas missiones profectus est, in Tabulario Parochiae Armenopolitanae in hunc usque diem asservantur, suntque tenoris sequentis.

Sacrae Caesareae ac Regiae Germaniae Hungariae Bohemiaeque Majestatis Mariae Theresiae Archiducis Austriae, Dominae nostrae clementissimae Nomine praesentium exhibitori Joanni Jakabfi Armeni ritus Presbytero et collegii urbani Alumno, qui qua designatus a Sancta Congregatione de Propaganda Fide in Valachiam Turcicam discedit Missionarius, hae Litterae patenties expeditae et traditae sunt, ut ab omnibus ejuscunque status, gradus, dignitatis et conditionis existentibus ubi locorum terra marive non solum absque omni impedimento et molestia libere, tuto et expedite ire, transire, proficiisci, commorari atque recessere permittatur. Verum etiam ubi eidem quid acciderit, aut ipse congrue interpellaverit salvo conductu, fide et securitate publica, viarum ducibus, commeatu, equis, curribus, navibus aliisve ad commodius perficiendum hoc iter suum necessariis rebus prompte juvetur et promoveatur. In hoc enim Altissimae memoratae Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis seria et omnimoda impletur voluntas

Per suam Sacram Caesaream Regiamque Majestatem Viennae die 19. Julii anno 1757.

Frid. a Binder, m. p.

Per candem S. Congregationem anno 1782 alter Armenopolitanus Presbyter Christophorus Duha plane in Chrimaeam Tataricam est ablegatus, quem utut absentem semper tamen pro Dioecesis Transilvaniae Presbytero voluit haberi piissimus Episcopus Ignatius Bathyan, ut discimus ex ejusdem Praesulis ad clerum Armenopolitanum hoc in merito die 1^a maji 1782 Cibinio datis Litteris. „Honorabilem Christophorum Duha in Chrimaeam Tataraeam per Sacram Congregationem de Propaganda Fide ad missiones designatum dimitto, ita tamen, ut Eundem pro Dioecesis meae Presbytero in posterum etiam haberi velim.“ At vir hie Apostolicus nunquam amplius ad has oras rediit, sed totum reliquum vitae suae tempus in peregrinis missionibus, quibus se totum pro gloria Dei et salute Proximi devoverat exegit. Tandem post indefessos triginta propemodum annorum Sacrae missionis labores, animam meritis et virtutibus ornatam anno 1810 Creatori reddidit, mortuus in Charasu-Bazar Chrimeae ubi aedes Parochialis et Templum opera et industria illius erectum memoriam viri conservant.

Anno 1752 cum mortuo ritus Armeni Parocho Szépviziensi, dicta Parochia animarum Curatore destitueretur, Clerus Armenopolitanus et Elisabethopolitanus, praeeunte Michaele Theodorovicis die 9^{ma} Octobris praefati anni consilio unanimi statuit: ut Spiritualibus fidelium Szépviziensium necessitatibus, per S. Congregationis alumnos utrinque et alternatim instar missionis eo deputandos prospiciatur. Missus itaque codem adhuc anno ad Szépviz est Minas de Geron Szamosujvariensis, post eum ordine plures Elisabethopolitanii, eum post sublatum generalem Armenorum Archidiaconatum Parochia Szépviziensis Elisabethopolitanum ritus Armeni Archidiaconatui fuisse ingrediata. Patet ex dictis clerum Armenum Transilvanum, quandiu arctiori secum ipso et cum Sacra Fidei Propaganda Congregatione vinculo conjuncta exstitit, magnam omnino in missionibus inter Armenos tum intra tum extra Patriae hujus limites, efficaciam exercuisse.

S. Sedes Apostolica, quae ritus Armeni in Transilvania conservationem, propter Armenorum Schismaticorum in Oriente conversionem, ad Catholiceae Religionis incrementum pertinere; prout ex adverso detrimentum ritus in detrimentum rei catholicae cedere, sapientissime semper judicavit, ne ritus Armenus, per transitum Armenorum ad ritum latinum, in Transilvania

detrimenti quid caperet, omni studio et vigilancia cavit. Praeclarum ejus rei monumentum inter alia invenimus in Litteris Nuncii Apostolici Viennensis anno 1750 die 11 septembris ad P. Ladislaum Baronyai Collegii Societatis Jesu Albae-Carolinae Rectorem datis, omnino dignis, quae posterorum memoriae hic loci commendentur.

Adm. Rde Pater!

Conquesti sunt quidam Ecclesiastici ritus Armeni commo-
rantes in Transilvania apud Sacram Congregationem de Propa-
ganda Fide Armenos homines Catholicos ex quadam propensione
erga ritum latinum deserere proprios ritus et id vergere in detri-
mentum Catholicae Religionis, dum Schismatici Orientales de-
trectant uniri Ecclesiae Romanae, cum credant ex hoc facilis transi-
tu intendi suppressionem ritus Armeni. Similis casus contigit in
regno Poloniae usque ab anno 1699 ibi pariter plures ex orienta-
libus Armenis stationem fixerunt ac Latinorum disciplina et cere-
moniis capti, relieto patrio ritu, Latinam Ecclesiam frequenta-
bant, qua de re conquestus Archiepiscopus Armenorum apud Sacram Congregationem, quod talis transitus admirationem apud Armenos Schismaticos pareat et arceantur ab unione cum Ec-
clesia Romana, sub praetextu, quod haec intenderet suppressio-
nem Armeni ritus, hinc Eminentissimi Patres decreverunt, nulli
Armenorum licere transitum ad ritum latinum absque speciali
sedis Apostolicae licentia; vellet igitur Sacra congregatio infor-
mari num haec propensio Armenorum Transilvaniae ritui latino,
aliquam inter Armenos Schismaticos admirationem excitare pos-
set, ita ut arceantur ex eadem suspicione ab unione cum Roma-
na Ecclesia, ideoque num expedit Decretum prohibitorum quod pro Armenis Poloniae emanavit extendere ad Armenos Transil-
vaniae. Exopto igitur Adm Rde Pater ut de predictis me solli-
cite instructum reddas, dum singulari benevolentia maneo.

Ptis tuae Adm Rdae

Viennae 11 sept. 1750.

Ad servitia paratus.

Franciscus Archiepiscopus Patracensis
Nuncius Apostolicus.

Relationis, quam Pater Baranyai Rector Collegii Albensis ad has litteras fecit, nullum quidem in monumentis Literariis, quae possidemus, deprehendimus vestigium, sed ita responsi Joannis Kastal Vicarii Generalis Albensis ad Nuncium Apostolicum Viennensem in sequelam praemissarum Litterarum dati, quo Decreti S. Congregationis de non mutando ritu Armeno ad Armenos Transilvanos extensionem deprecatur. Cujus quidem responsi textus est sequens.

Querulari quosdam Armeni ritus in Transsilvania degentes Ecclesiasticos apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide intellexi super eo: quod homines Armeni ad ritum latinum propensi, non sine Religionis catholicae detimento, proprios deserant ritus unde Schismaticorum Orientalium unionem reddi difficultorem putant, ne facili transitu Armenianus supprimatur ritus, eujusmodi ratio supposito laborare videtur, cum nullus ex Armenis hocce in Principatu commorantibus inveniatur Schismaticus, quale igitur quis posset sibi imaginari a transitu ad ritum latinum unionis impedimentum. Plurimi autem Lutheri, Calvini et Socini sequaces a temporibus olim Principum Acatholicon hic loci prevalentibus reperiuntur quorum conversionem opera et zelo virorum Ecclesiasticorum et Religiosorum pleni solatiis spirituibus in dies experimur. Cessabit certissime horum conversio quam primum audiverint per Decretum (quod Presbyteri illi suam non Dei Gloriam querentes sollicitant) ex Armeno rito ad Latinum transitum prohiberi; putabunt enim se eadem lege teneri sieque incremento Religionis Catholicae non sine evidenti multorum millionum, dicam potius millionum in his partibus a via veritatis deviantium spirituale ponetur impedimentum, non expedit proinde Decretum prohibitorum, quod pro Armenis Poloniae emanavit ad Transilvaniae Armenos extendere, imo ut praepediatur ne incomparabiliter majus inde immineat Ecclesiae detrimentum de genu supplico.

Est vero Decretum S. Congregationis, de quo hic sermo est sequens: Ad conservandam pacem inter Armenos unitos in Regno Poloniae et ob alias gravissimas causas sacra congregatio de Propaganda Fide annuente Sanctissimo decrevit, ne de cetero Armenis unitis, sive Laicis sive Ecclesiasticis Saecularibus quam Regularibus ad Latinum ritum, quacunque de causa, sine speciali sedis Apostolicae licentia transire liceat, et proinde omnibus

Archiepiscopis, Episcopis et officialibus Armenorum unitorum districte praecipiendo mandavit, ne deinceps licentias pro hujusmodi transitu subditis suis eujuscunque gradus et conditionis existant, concedere praesumant, et Archiepiscopis Episcopis et aliis Praelatis Latinis et eorum Officialibus, ne deinceps Armenos praedictos unitos ad Latinum ritum transire volentes quovis praetextu aut causa etiam cum licentia Armenorum Praeclarorum suorum recipere audeant, sub poena nullitatis actus. Die 2. Aprilis 1699.¹⁾

His praemissis quid de exceptione quam Vicarius Albensis Ioannes Kastal adversus praeccitati Decreti ad Armenos Transilvanos extensionem, in suis ad Nuncium Apostolicum datis Litteris format, statuendum sit, brevibus expendamus. Dicit igitur rationem, qua asseritur: per transitum Armenorum ad ritum latinum, Schismaticorum Orientalium unionem reddi difficiliorem, supposito laborare, cum nullus inquit ex Armenis hocce in Principatu commorantibus inveniatur Schismaticus, atque continuo addit. Quale igitur quis posset sibi imaginari a transitu ad ritum latinum unionis impedimentum. Et non attendit vir bonus, se in errorem, cuius alios arguit labi, dum agi hie existimat de Armenis quibusdam Schismaticis in Transilvania commorantibus, qui circa medium saeculi superioris in hac Provincia utique nulli fuerunt, id quod sedi Apostolicae non secus ac clero Armeno querulanti apprime notum erat. — Cum re ipsa sermo sit de Armenis orientibus non unitis. Jam vero hos, Armenorum ad Latinum ritum transitu vehementer offendi et ab amplectenda unione absterrer, nemo rerum orientalium vel tantisper gnarus inficias iverit, sed nec sedem Apostolicam latet: docent hoc Constitutiones innumerae pro conservatione rituum orientalium editae, atque celebres Encyclice Benedicti XIV. „Allatae sunt“ Etsi Pastoralis.²⁾ etc: ad Missionarios per Orientem deputatos datae. Atque latehi, per Asiam et Europam usque finitimas Dacie Oras, Bucovinam, Bessarabię, Moldaviam et Valachiam dispersi Armeni Schismatici obversabantur procul dubio menti sacrae Congregationis de Propaganda Fide, dum Anno 1699 Decretum pro Armenis Poloniae conderet. Hi iidem vicini Schismatici obversa-

¹⁾ Antoine in Tractatu de sacris Christianorum ritibus.

bantur dum Anno 1750 de dicto Decreto ad Armenos Transilvanos extendendo ageret.

Nimirum mos fuit hic olim apud nos et mos est hodie dum, ut Patriae nostrae amore capti, quid ultra eam in orbe Christiano agatur, parum ad nos referre arbitremur, et secundum arctos quos montes carpatici nobis circumscribunt limites Constitutionum Apostolicarum utilitatem metiamur. Hinc fit, ut cum mentem Ecclesiae non semper assequamur, multa committamus in Ecclesia quadam particulari, quae universali nocent, et quae menti Ecclesiae et Sanctae Sedis Romanae universam Ecclesiam et cunctos Christi fideles diversorum licet rituum et nationum eadem cogitatione et cura complectentis e diametro adversantur.

Illud porro quod in responso Vicarii Kastal dicitur: Acatholicos in Transilvania, intellecto eo, quod Decreto Sanctae Sedis, transitus Armenis ad ritum Latinum prohibeatur, se quoque dicto Decreto comprehendendi, reputantes a Conversione arceri, est ultra quam dici posset absonum et a veritate alienum. Quis enim usquam Armenos Romano-Catholicos lingua solum et ritu a Latinis discrepantes, cum Acatholicis Lutheri Calvini et Socini sequacibus confuderit? aut quis tantam Acatholicis erga sedem Apostolicam inesse credat devotionem, ut eosdem Decreto Sanctae Sedis, diversi ritus Catholicorum, mutuam ad se invicem relationem determinanti conformare se velle arbitretur? aut hoc facientes reformidet?

CAPUT XVIII.

Armenis Transilvanis admittitur usus Kalendarii Gregoriani, celebratio trium Missarum in Festo Nativitatis Domini et usus missalis Latini.

Armeni Transilvani more Ecclesiac Orientalis utebantur olim Kalendario vetere Juliano, desiderium quidem adoptandi novi Kalendarii inter ipsos inde a primordiis arctioris cum sede Apostolica Romana unionis saepius emersit. Preces quoque ac repraesentationes hoc intuitu ad Sacram congregationem per Apostolicum Armenorum Visitatorem Stephanum Stephanovics

factae sunt, quemadmodum hoc ex ejusdem Litteris de dato 2. Decembris 1729, et 18. Februarii Anni 1730 discimus, — nihilominus sedes Apostolica, caute admodum in tanti momenti negotio procedendum esse censuit, praesertim cum nosset Armenos Catholicos Liburni in Portu commorantes receptioni novi Kalendarii Decreto S. Congregationis die 20. Juni 1674. emanato, ipsis injunctae se se opposuisse; ut ad interpositas iteratas corundem preces indulgentia cum iis adhibenda fuerit, ut docet sequens Decretum S. Congregationis die 23 Septembris Anno 1699 editum et a summo Pontifice Innocentio XII. confirmatum. „Re mature tractata et perpensis omnibus facti circumstantiis censuerunt (Patiens) secundum ea, quae proponuntur conniveri posse cum Armenis Catholicis Liburni commorantibus et qui peculiarem obtinent Ecclesiam, circa usum Kalendarii veteris, donec ipsi ad omnimodam Kalendarii Gregoriani observantiam disponantur. Quoties enim Orientales (ait Benedictus XIV. in Encyclica allata sunt nro 46) minime consenserunt, justusque adfuit timor, ne tumultus dissensionesque excitarentur, si novi Kalendarii ipsis injungeretur usus, tulit Apostolica sedes ut Orientales et Gracci in remotis regionibus degentes, veterem suam disciplinam retinerent, videlicet antiquum servarent Kalendarium occasionem opportuniorem exspectantes inducendi usum novi emendatique Kalendarii. Cum itaque Sancta sedes intellexisset nonnullis quidem Armenorum Transilvanorum novum, aliis vetus praeplaceere Kalendarium, antequam quidquam in merito decerneret, medio Nuncii Apostolici Viennensis uberiorem petiit a piac memoriae Transilvaniae Episcopo Sigismundo Antonio Sztojka super statu rei informationem. Est autem Epistola Nuncii quam in origine teneo sequens: „Sacerdos Christophorus Isaac Armenus Transilvaniae, alias alumnus in collegio de Propaganda Fide et de praesenti exercens curam Animarum suae nationis in Szamosujvár exposuit sacrae congregationi in relatione, quam de se ipso singulis annis explere tenetur, Armenos, Hungaris ritus Latinus permistos in illis partibus, paulatim ita adhaerere Latinis, ut non pauci ex magnatibus celebrent Festa ad Gregoriani Kalendarii praescriptum. Exoptant igitur Eminentissimi Patres de hac re plenius informari cumque a nemine quam ab Illustrissima et Reverendissima Domine vestra, qua Episcopo Transilvaniae majora Lumina aquirere possim, hinc Illam humanissime requiro,

ut de praedictis me instructum reddat, qui peculiari observantia maneo. Illustrissimae et Reverendissimae Domin. Vestrae.

Viennae 14. Febr. 1750.

Devotissimus servus
T. Archiepiscopus Patraceutis
Nuicinus Apostolicus.

Informationem quam praelaudatus Praesul ad praemissas Litteras dedit, temporum injuria nobis invidit, sed habemus ejusdem resolutionem ad clerum et communitatem Armenopolitanam, qua, eisdem enixe potentibus, annuente Sacra Congregatione usum novi Kalendarii concessit, cuius quidem tenor hic est. „Petitum Vestrarum Dominationum circa receptionem novi Kalendarii ex Epistola ejusdem ad me data intellexi. Quo proinde Vestrarum Dominationes idem novum Kalendarium Gregorianum sic dictum, tam in clero quam in Communitate recipere, tenere observareque quantum ad Festorum celebrationem, Jejuniorumque temporis observantiam (salvo de cetero in omnibus et per omnia antiqua suo Ritu legitime approbato et usque nunc observato) libere possint, nihil abnuo, cum per hoc Ritus ipsarum in Ecclesiasticis nihil mutetur.

Alvincii 26. Januarii 1758.

Sigismundus Antonius Sztoyka
Episcopus Transilvaniae.

Quaestionem de Kalendario excepit paulopost illa, de celebratione trium missarum in natali Christi Domini et usu Missalis Latini in idioma Armenorum translati. Eruditissimus scilicet felicis recordationis Pontifex Benedictus XIV. diversorum rituum permixtionem praecavere, et ritum quemque in avita sua puritate conservare cupiens, Armenis Catholicis Liburni in Portu habitantibus, trium Missarum in Festo Nativitatis Domini ad imitationem Latinorum celebrationem interdixerat, itaque cum sedes Romana eundem usum apud nostros quoque Armenos obtinere intellexisset, atque una cosdem Latino PP. Praedicatorum Missali in Armenium idioma translato uti comperisset, felicis recordationis Clemens Papa XIII. consuetudinem utramque, quam ex relationibus cleri Armenopolitan ac Elisabethopolitan absque manifesto Populi fidelis offendiculo, et spiritualis consolationis

cleri populique armenici detimento tolli haud posse didicerat, inter Armenos tantum Transilvaniae, usque ulteriorem Sedis Apostolicae dispositionem, novo lenitatis Apostolicae argu-
mento, tolerandam esse decrevit. Est igitur hoc Privilegium quoddam speciale, quo soli ad nostram notitiam gaudent Armeni Dacici.

Monimenta litteraria, quae hue faciunt temporis edacitati ea praerepturi, more a nobis in hac Incubratione recepto, ordine qui sequitur damus.

I. Litterae p. m. Episcopi Antonii Baytay ad Parochum Arme- nopolitanum.

Accepta nuper informatione de tribus Missae Sacrificiis a Sacerdotibus etiam Armenis in hac mea Dioecesi, meac subjacentibus jurisdictioni, in die nativitatis Domini ad instar Latinorum celebrari solitis rescripseram ad Sacram de Propaganda Fide congregationem, rationes facti ejusdem, mihi per eundem recen-
sitas, atque ne qua hac in parte induceretur mutatio, suadere studebam. Adpulit vero hisce diebus aliud ad me ejusdem Sacrae Congregationis superinde Rescriptum, ad quod ut opportune reponere valeam, necesse est me per Vestram Dominationem Ad-
modum Reverendam citra moras genuine fideque bona (de qua non dubito) edoceri 1. Quo anno coeperit et a quanto tempore continuet usus ille inter Sacerdotes Armenos hujus Dioecesis celebrandi tres missas in die Nativitatis Domini. 2 do. An via seu publica seu privata pervenerit unquam ad eandem et cosdem Epistola felicis recordationis Benedicti Papae XIV. eundem usum Armenis Sacerdotibus prohibens? si ita quando? et qua nomi-
nanter ac in specie via? —

3. An usus iste, citra gravem populi Armenici commotio-
nen ac perturbationem et spiritualis consolationis Sacerdotum diminutionem, Catholicorumque latinorum isthie habitantium offensionem possit prohiberi et sufferri? 4. Num revera Missali latino, idiomate armenico excuso toto anni cursu utantur? et a quanto tempore? 5. An et quibus modis ac mediis posset revo-
cari antiqui Missalis Armenici usus? De his inquam ad Dominum etiam Archidiaconum Elisabethopolitanum pariter a me trans-

scriptis dum clare ac distinete edoceri cupio, inter officia maneo.

Vestrae Dominationi admodum Reverendae

Cibinii 1.9. 1761.

Servus paratissimus

B. J. Antonius Baytay

Episcopus Transilvaniae.

II. Relatio cleri Armenopolitani.

Ad primum. De anno quo ceperit usus inter Sacerdotes Nostrates hujus Dioecesis tres Missas in die Nativitatis Domini celebrandi, nullum vestigium in scriptis invenimus, idecirco Sacellarium Seniorum fidei dignorum testimonium requirentes intelleximus: quadraginta jam circiter annos effluxisse, ex quo usus praedictus inchoavit, et adhuc perseverat. Ceterum cum natione nostra schismate et haeresi infecta esset, juxta morem Ecclesiae Orientalis antiquissimum Nativitatem Domini una cum Epiphania 6. Januarii celebrabat, quem morem hujates post suam etiam ad fidem Catholicam conversionem aliquandiu retinuerunt. Anno primum 1718 aut proxime sequenti nativitatem Domini 25. Decembris hic celebrare nostrates cepisse certa relatione habemus. Hinc censemus non sine conjecturis insimul usum tres missas Latinorum celebrandi tum incepisse. Anno 1729 Stephanus quidam Roska Praepositus Armenorum Stanisleopoliensis in Polonia, olim collegii Romani de Propaganda Fide Alumnus a Sacra sede specialiter ad reformandam in ritibus ac consuetudinibus Ecclesiasticis ad hanc Nationem tanquam Vicarius Apostolicus delegatus, apud nos usum hunc quamvis invenerit non reprobasse tamen eum, continuatio ad hoc usque tempus non intermissa certum adfert indicium. Ad Secundum. Epistola felicis recordationis Benedicti Papae XIV. hunc usum Sacerdotibus Armenis prohibens nulla via seu publica seu privata ad nos pervenit.

Ad Tertium. Usum hunc citra gravem populi nostri commotionem ac perturbationem et Sacerdotum Spiritualis Consolationis diminutionem quin et vel maxime Catholicorum Latinorum hic et per totam patriam habitantium offensionem prohiberi aut tolli omnino non posse, gravissimis de causis praevideamus, praesertim in his circumstantiis, ubi jam recepto a Nostratis novo Kalendario in plerisque Latinis conformes esse videamur. Hinc

post tot annorum usum continuum facta mutatione in tam notabilis et omnibus manifesta consuetudine consequentias plurimas metuimus.

Ad Quartum: Missali Latino PP. Dominicanorum idiomate Armeno excuso toto anni tempore utimur, accommodantes illud nostro Divino officio. Istud manuscriptum jam anno 1717 piae memoriae D. Archidiaconus Noster Michael Theodorovies Roma secum attulerat, ususque est illo vita durante ad annum 1760. Dein ex eisdem typis de Propaganda Fide modernus Archidiaconus noster (Lucas Verzár) primum anno 1729 e Romano studio reversus a Sacra congregazione pro suo usu datum attulit, subsequentibus etiam temporibus alii, qui hinc in Collegio de Propaganda Fide Alumni existebant eodemque Missali donati usi sunt tam Romae quam hic ad hoc usque tempus.

Ad Quintum: Licet Missali Latino idiomate Armeno utamur per totum annum, tamen praeter introitum cum oratione, lectionem, tractum et evangelium nil aliud inde desumimus, sed cetera ex liturgia S. Chrysostomi retinemus, quae Liturgia est Romae typis edita, praefatoque missali inserta. Praeterea cum populus a tanto tempore assuetus sit audire Evangelia et Lectiones (quae vulgari alioquin lingua decantantur) ex praedicto latino missali in idioma armenum translato, quin et Verbum Divinum juxta illud praedicari, usum antiqui missalis, multum a praedicto missali discrepantis circa Evangelia ac lectiones sine murmure ac multis aliis incommodis vix induci posse judicamus. Media autem inducendi praefati antiqui missalis usum, nisi sacra congregatio nobis suppeditaverit aegre inveniemus. Interim desideramus plurimum tam ad publicam conformitatem, quam ad Officii nostri Divini Satisfactionem habere missale, quod quoad Lectiones et Evangelia cum latino conveniret in Dominicis saltem ac festis sollempnioribus. Ceterum tamen in hac re nos tanquam humillimos semper ac obedientissimos filios sacrae Congregationi submittimus.

Szamosujvarini 13. Novembris 1761.

Capellani Minimi
Clarus Ecclesiae Armenopolitanae

III. Decretum Pontificium.

Illustris et Reverendissime uti Frater!

Relatis per Secretarium hujus Sacrae congregationis Sanctissimo Domino Nostro Litteris Amplitudinis Tuae, nec non utriusque Cleri Armeni Elisabethopolitani et Armenopolitani in quibus exspectabatur ut consuetudo isthie a multis annis vi-gens celebrandi in die Nativitatis Domini Latinorum more tres Missas probaretur. Sanctitas Sua attentis peculiaribus rationibus et circumstantiis haud levibus in iisdem Litteris expositis, eensus allatam consuetudinem inter Armenos tantum Transilvaniae tolerandam esse, usque quo Sedes Apostolica post totius negotii maturius examen aliter disposuerit. Eademque decretivit circa usum Missalis Latini Armeno idiomate. Ceterum pastoralis sollicitudinis Tuae erit hanc summi Pontificis voluntatem Parochis aliquique Sacerdotibus praedictae Nationis Transilvaniam incolentibus notam facere. Romae 30 Januarii 1762.

Amplitudinis Tuae

uti Frater

S. Card. Spinellus Praefectus

M. Marefusens Secretarius.

IV. Decreti comitiva.

Admodum Reverende Domine!

Indultum Summi Pontificis de celebratione trium Missarum in Natali Domini et usu Missalis Latini in idioma Armenieum translati, per sacra Congregationem de Propaganda Fide ad Me datum in vero ejusdem exemplo, pro uberiori Spirituali consolatione vestra, animorumque tranquillitate, eum in finem isthie mitto, ut eidem deinceps et noverint et studeant se prout decet conformare.

Benevolentissimus in Domino

B. Antonius Bajtay

Episcopus Transilvaniae.

CAPUT XIX.

Ritus Armenorum Transilvanorum non obstantibus mutationibus, capite superiore recensitis, est Orientalis Armenus. Incommoda status Ecclesiastici Armenici in Transilvania.

Indulgentia quam Sedes Apostolica cum Armenis Transilvanis quandoque adhibuit non obstat, quo minus iidem pro veris et indubitatis ritus armeni fidelibus habendi sint. Praesertim cum concessiones omnes per sanctam sedem tantum ad tempus usque ulteriorem ejusdem sedis dispositionem sint factae, de cetero autem cautum sit, ne quae arbitrariae in ritu mutationes fierent, in specie ne Armeni in iis, quae ad jejunia, dies Festos et Sacramentorum administrationem pertinent, se se disciplinae Latinae Ecclesiae conformarent. Hujusmodi Apostolicae sollicitudinis luculentum invenimus exemplum in Litteris piae memoriae Episcopi Antonii Bajtay ad Parochum Armenopolitanum die 13. Junii anno 1769 datis, quas heic exscribimus.

Reverendissime Paroche!

Significavit mihi sacra Fidei Propagandae congregatio intellectisse se Armenos provinciae hujus, relictis propriis ritibus et plerisque Ecclesiae suae consuetudinibus, in iis praesertim quae ad jejunia, dies festos et nonnullorum sacramentorum administrationem pertinent disciplinae latinae Ecclesiae se se conformasse, committo proinde Vestrae Dominationi Reverendissimae ut me de sequentibus primo quoque tempore reddat certiorem, nimirum an exposita ita re ipsa se habeant? An inquam et qualem mutationem ritus ille in jejuniis, in festis celebrandis, in Sacramentorum administratione passus sit? si ita, quando? quibusque de causis? cuius superioris aut Antistitis consensu et auctoritate? Quem in finem opportune adjicet vestra Dominatio ordinem sui ritus jejuniorum et festorum, quae per annum praeter nostra jejunia et festa a se celebrantur. Indicabit practerea in Sacramentorum administratione quo rituali sive agendis utantur? ubi illa typis excusa sint? an convenienter cum agendis illis quibus Armeni

in Polonia, Venetiis et Romae utuntur. Opperiar itaque de his primo quoque tempore fide dignam Vestrae Dominationis relationem Cibinii 13. Junii 1764.

L. B. Ant. Bajtay

Episcopus Transilvaniae.

Ad quas quidem quaestiones praclaudatus piae memoriae Antistes ad ductum relationis Armenopolitanae Saeculae Congregationi, a qua propositae fuerant, respondens, negat ullam in Sacramentorum administratione intervenisse mutationem; at fatetur in jejuniorum festorumque Fori observatione variationem inde ab anno 1758 tempore scilicet recepti ab Armenis Kalendarii Gregoriani evenisse.

Ex his atque aliis mutationibus orta seculo superiore suspicio, Armenos Transilvanos a patriis ritibus et institutis recessisse eo processit, ut essent qui contendenter: Armenos hos mixti, vel cum a potiori fiat denominatio, latini potius quam Armeni ritus dicendos esse, et non dubitarent illos Mediolanensibus qui ritum latinum, at non Romanum sed Ambrosianum exercerent, et Dalmatis littoralibus, qui ritum latinum in lingua slavonica observarent equiparare, unde concludebant, hos quoque haud secus ac illos, dum extra suas Ecclesias morantur, posse se ritui Romano illius Ecclesiae conformare et quidem etiam Presbyteros in ministeriis sacris, neque ullam adesse necessitatem, cur clerici illorum sacros ordines ab Armeno recipient Episcopo, cum eodem illis proprius Latini ritus ordinarius pari imo potiori jure conferre valeat.

In hanc propendet sententiam cumprimis Franciscus Eötvös eruditus dum viveret Professor Agriensis. Rationes quibus inductus ita potissimum sentiret, explicat in sua ad C. Ignatium Baththyáni Episcopum Transilvaniae circa annum 1782. de ritibus Armenorum Transilvanorum scripta relatione sequenti:

„Post iteratas Armenorum ab Ecclesia discessiones in Armenia Majore Naxivanensem Provinciam non solum ad fidem, sed et ad ritus Ecclesiae latinae in quibusvis sacris ministeriis observandos, Beatus Bartholomaeus Bononiensis ordinis Praedicatorum saeculo XIV. sub Pontificatu Joannis XXII. perduxit, ita tamen, ut linguam armenicam, qua antea Divina peragebant deinceps quoque retinere valeant, prout etiam Patres Dominicani, qui in hanc ingressisunt Provinciam ea lingua illico cooperunt suos exercere ritus.

Itaque alii sunt Armeni, qui proprium armenicum custodiunt ritum, alii vero qui ritum latinum in lingua armenica observant, quemadmodum nempe Dalmatae in ea Dalmatiae parte, quae littoralis dicitur ritus latinos a nono saeculo in lingua Slavonica exerceant.

His praesuppositis, cognitoque eo, num ritum Naxivanensem, an vero ceterorum Armenorum orientalium exerceant Armeni Transilvani, illico clarum est, nun idem latini ritus, aut vero armenici dici debeant, citra dubium ad eos pertinent, quaeque Bullae Pontificiae quaeque Decreta Congregationis de Propaganda Fide respective ad Armenos emanata.

Ueterum tam e rescripto congregationis de Propaganda Fide 10. Octobris anno 1761 emanato sub Nro. 134. maxime ex his verbis: „Missale quo nunc utuntur purum putunque latinum est, quod utique non pro ipsis, sed pro Patribus tantum modo ordinis Praedicatorum Provinciae quandam Naxivan excusum est,⁴ quam etiam ex alio ejusdem sacrae congregationis anno 1762. 1^{ma} Martii emanato sub Nr. 185 maxime ex his verbis: „Eadem decrevit circa usum Missalis latini Armenio idiomate. Certum est Missali latino uti Armenos Transilvaniae, De aliis etiam ritibus eorum magna ex parte idem sentiendum venit, nam in litteris sacrae congregationis 13 Martii anno 1764. exaratis haec verba lego: „Saera Congregatio intellexit.“ Armenos catholicos in partibus Transilvaniae commorantes, relictis propriis ritibus et plerisque consuetudinibus suae Ecclesiae, praesertim in his quae pertinent ad jejunia, dies festos, et ad nonnullorum sacramentorum administrationem Disciplinae Ecclesiae latinae se se conformasse.“ Ad quas quidem respondens ejus anni ordinarius, negat in Sacramentis ullam intercessisse mutationem, at fatetur in jejuniorum festorumque fori observatione variationem evenisse gravissimis de causis ea occasione, qua anno 1758 ipsa sacra Congregatione consentiente per eos novum Calendarium Gregorianum receptum est.

Novimus itaque jam quosque ritus latinos esse introductos apud Armenos Transilvaniae, exceptis iis, qui in Sacramentorum observentur administratione, seu quae in rituali praescribi solent, adeoque novimus jam, Armenos Transilvaniae, si eorum ritus in complexo spectentur, non observare ritum armenicum, sed potius, quam a potiore parte fiat denominatio ritum latinum. Inio du-

bium mihi movet, an etiam quoad Sacramentorum administrationem suecessive majore ex parte non introduixerint ritum lati-
num, cum eum quoque introducendi licentiam a sacra Congrega-
tione postulaverit Ordinarius Transilvaniae gravissimis de causis.
forsitan rituale quoque a Visitatore Apostolico Stephano Roska
praescriptum, successive annuentibus ipsorum ordinariis, et post
ultimas de hujusmodi licentia preces, tacente sacra congregatione,
sensim latinae Disciplinae adcommadarunt, si id considere-
tur, quod sacramentum confirmationis ab eorum Presbyteris con-
feratur, hunc enim usum porro quoque refineri voluit in sua opini-
one Rmus Szereday, ut sic facilius evineat, eos nullatenus indi-
gere gentis suae ordinario. Ceterum an hic eorum usus legitimus
sit, examinandum necessario venit, juxta eam instructionem quam
Clemens VIII. et Benedictus XIV. Graecis dederunt.

Ex hucusque dictis colligo 1mo non solum Armenos Tran-
silvaniae, armenici ritus fideles nullatenus dici posse, verum aut
mixti ritus esse (quod quomodo cunque factum sit, jam sine gravi
offendiculo mutari non potest) aut vero ritus latini in lingua arme-
nica, non quidem ultimo a sede Apostolica recogniti, verum ejus,
qui saeculo XIV. in Provincia Naxivan obtinuit, in quo deinceps
quoque relinquendi sunt, quum omnem futuram innovationem in
ritibus prohibeat bulla Pii V. Missali Romano, aliorumque Pon-
tificum bullae, ceteris sacris liturgicis codicibus praefixae.

Colligo 2-do, si mixti ritus sunt, nullam esse necessitatem, ut
ab Armenico Episcopo eorum saeri ministri consequentur, quoniam
enim non minus, imo magis distent in sui ritibus ab Armenis ar-
menici ritus, quam a Latinis, non minus, imo magis decens est, ut
a latino et quidem suo ordinario ordinentur. Si vero latini ritus
(ut mihi videtur) dici debeant, non solum possunt, sed et debent
a solo latino suo ordinario ordines Ecclesiasticos recipere, prout
e pluribus bullis et decretis clarum est. Verum sic Presbyteri
eorum simpliciter interdicendi erunt ab administratione sacra-
menti confirmationis.

Colligo 3-tio cum hi Armeni probabilius ea ratione veniant
in considerationem, sicut Mediolanenses aut Dalmatae littorales,
ritum quidem latinum at non Romanum exerceentes, hos quoque
non secus ac illos, dum extra suas Ecclesias morantur, posse se
ritui Romano illius Ecclesiae conformare et quidem etiam Pres-
byteros in ministeriis sacris.

Ut nihilominus in re tanti momenti omnis tollatur ambiguitas optimum fore judico, si quique eorum sacri liturgici codices saerae congregationi de Propaganda Fide fuerint praesentati, ut hujus auctoritate, quod recta Ecclesiae disciplina exposcit, ex his definiatur, norma invariabilis deinceps agendorum praescribatur.

Professor Eötvös expositis in hoc suo scripto rationum momentis, piae memoriae C. Ignatio Batthyáni, qui id temporis Ecclesiam Transilvaniae gubernabat, persuasit, ut Is, partim penuriae sacerdotum in Dioecesi, partim Armenis ipsis, in quos vere paterno serbatur affectu, succurrendi studio, summo Pontifici Pio VI. in hanc sententiam seriberet:

Beatissime Pater!

Ab aeo Apostolorum diffusos per orbem Episcopos, si quid ambiguæ quaestioni sémèt obtulisset, ad sacrum Apostolatus culmen retulisse Ecclesiastici testantur Annales. Venerandæ hujus traditionis memor, malui in subnexa quaestione oraculum et gratiam sanctitatis Vestrae implorare, quam pro arbitrio quidpiam decernere, licet gravia mihi suppetant rationum momenta, ex quibus omne dubium expedire liuisset, oraculum autem imploro, ut argumenta mea si illa aliquid valent ab Apostolica Petrae soliditate invictam mutuentur fortitudinem, ad gratiam provocavi, ut si momenta a me proferendarum non conficerent, primæ hujus sedis Benignitas precibus meis succurrat. Res autem sic se habet.

Sub finem prioris saeculi consederunt in Dioecesi hac mea Armeni Turcicæ Dominationis pertaesì, qui tandem ad sacram unionem perducti fidem catholicam impensis colunt studiis, et licet non pauci ipsorum per varias civitates, oppida, pagos dispersi degant, conflarunt tamen tria (quatuor) loca: Elisabethopolim, Armenopolim, Sanctum Nicolaum et Szepvizium, quae loca ipsi ferme soli occupant. Sie multiplicati et aucti cooperunt multos habere Sacerdotes, aut in urbe aut Leopoli ordinatos, quorsum filios suos gravissimis mittebant expensis, horum tantus jam est numerus, ut oneri sint, neque vivere possint cum decoro status Ecclesiastici. Episcopo autem Transilvaniae desunt sacerdotes, quos ad Parochias regendas e clero sui ritus mittat, Armenos Presbyteros lingua sua missam decantantes Latinis obtrudere mihi integrum

non est, illi vero hactenus existimarent sibi integrum non esse, ut latino idiomate sacrum célébrent. Unde fit ut ad tres (quatuor) Parochias restricti, aliis non admoveantur beneficiis, verum in egestate vivant me operariorum paucitatem deplorante.

Duo sunt proinde quae in commodum Armenorum pro necessitate Dioecesis hujus sive statuenda, sive admittenda indulgendaque viderentur, ac Sanctitas Vestra pro suprema sua potestate statuat, et pro paterna sua gratia indulgeat majorem in modum obsecro.

Primo ut Armenis sacerdotibus liceat extra supra dicta loca deinceps mittendis Latino idiomate missas celebrare ac Romanu Breviario uti.

Secundo. Ut ab Episcopo Latino Transilvaniae liceat ordines ipsis tam minores quam maiores suscipere.

Utriusque petitionis meae acquitatem commendat Armenorum in hac Dioecesi degentium conditio, etenim populus dimissis ante multos annos sui ritus Festis, Jejuniis, illum hodie jam solo nomine retinet, neque ut ad Festa et jejunia sui ritus redeat absque periculo Fidei et animarum compelli potest. Clerus pariter tam festa quam jejunia dimisit et missali latino utitur, armeno tamen idiomate exarato. Patet itaque nulla armenos Transilvanos ritus diversitate diserepare, sed alio uti idiomate in Divinis, quod idioma non omnes intelligunt Sacerdotes. Quare cum Ritum Latinum in Armena lingua observant, pro latinis potius quam armenis habendi sunt, quemadmodum nempe Dalmatae in ea Dalmatiae parte quae littoralis dicitur, ritus Latinos idiomate Slavonico inde a saeculo nono peragunt.

Haec omnia ita se habere luculenter comprobatur ex Decreto Congregationis de Propaganda Fide die 30. Januarii 1762 edito, ubi decernit eadem Sacra congregatio, usque ulterius sedis Apostolicae beneplacitum turbandos non esse Armenos.

Ex hactenus dictis suapte consequitur, quod sicut sacerdotes Dalmatiae littoralis, dum ad interiores partes Dalmatiae concedunt, latino idiomate missas libere et absque metu culpac aliquius faciunt, id ipsum Armenis quoque Sacerdotibus licitum sit. — Consequitur item quod sicut unus idemque Episcopus Dalmatas tam Slavonico quam Latino idiomate divina peragentes ordinet, Episcopus quoque Transilvaniae Armenos libere et licite ordinare possit ac valeat.

Quantum ad missam et reliquum officium attinet, majorem inter Romanum et Ambrosianum videor mihi videre diversitatem, eum jam ex allato Decreto congregationis constet Armenos nostros uti Missali latino sed Armenice scripto. Hinc etiam me tacente Sanctitas Vestra inferet non minus debere licere Armenis quam Mediolanensibus, cum tamen hi ab Episcopis ritus Latinus ordinentur seu ritus Romani et extra fines ritus Ambrosiani, sequantur Romanum.

Nolo ego Beatissime Pater! ut Armeni inter suos populares latinam missam dicant, neque id volo, ut ad ritum latinum destinati utantur aliquando Armenico idiomate, id unum peto atque obsecro, ut ab Armenis natī possint ob Episcopo latino ordines suscipere, et dum extra loca superius recensita fuerint Latino idiomate uti valeant.

Postulat id necessitas Dioecesis meae operariis destitutae, postulat id utilitas Armenorum cum ob angustiam loci sustentari nequeant omnes qui ad Sacerdotium aspirant. Postulat id ipsum Clerus Armenus, quod perhibent supplices libelli Cleri Elisabethopolitani et Armenopolitani, nam duo illi Presbyteri, qui in Saneto Nicolao degunt Clero Elisabethopolitano adscripti sunt.

Ihis postulatis meis deferendo nil innovabit Sanctitas Vestra. Epistola enim Archiepiscopi Leopolitani hic sub D ad voluntate docet, Sacerdotes Armenos et quidem ritum suum plene retinentes extra Parochias Armenas degentes latinas missas facere. Sed et antecessor meus Antonius Bajtay hanc potestatem fecerat Sacerdoti Armeno, consultius tamen existimavi oraculum summae sedis implorare quam ad exempla respicere.

Tandem compertum habeo ex authenticis Documentis Episcopum Armenum Oxendum a sede Apostolica huc missum latinos quoque indiscriminatim ordinasse, ut patet ex accluso sub E. possem hac quoque in parte Antecessoris mei Georgii Mártonfi uti exemplo, qui Michaelem Theodorovics in ritus Armeni Presbyterum ordinavit.

Respiciat obsecro Sanctitas Vestra, qua erga sedem Apostolicam feror observantiam, respiciat necessitatem Dioecesis meae, exaudiat meas et cleri Armeni preces et me oraculo suo

tutum reddat atque securum. Qui cum devotissimo osculo pedum sum

Sanctitatis Vestrae

humillimus servus

Ignatius C. Bathyanus m. p.

Episcopus Transilvaniae.

Sanctae sedis resolutionem ad praemissam petitionem nupsiam legimus, eandem tamen precibus piae memoriae Episcopi Bathyanus consentaneam nequaquam fuisse, ex effectu, quo nihil hoc in genere innovatum exstigit, tuto concludimus. Sedes namque Apostolica utut perbene nosset Armenos Transilvaniae Latino PP. Praedicatorum armenice excuso missali uti, utut nosset illos Festa et jejunia ad novi Kalendarii observare praecriptum, neutiquam tamen illos, unquam ideo occidentalis Ecclesiae fideliens, qui lingua duntaxat et non etiam ritu ab his discreparent, accensendos esse censuit, sed pro veris semper atque indubitatis orientalis Armeni ritus Ecclesiae filii et ipsa habuit et ab aliis haberi voluit, nihilque ardentius exoptat, quam ut sublatis innovationibus, ritus Armenus apud illos, quantum per temporum licet adjuncta, ad primitivam suam revocaretur puritatem.

Jam nunc quid de opinione, quam de ritu Armenorum Transilvanorum Franeiscus Eötvös fovit, et in quam optimum Praesulem Bathyanum induxit, statuendum sit, paucis expendamus. — Itaque dicit: Armenos nostros aut mixti ritus esse, aut Latini, et quidem ejus qui in Provincia Naxivanensi Saeculo XIV. obtinuit. Jam de Naxivanensibus haec apud Benedictum XIV legimus: ¹⁾ Cum autem Isaiae Discipuli unam noscerent Armenianam linguam praeterea nullam et plenam ceteroquin cum Dominicanae Familiae Religiosiosis unionem constituerent, necesse fuit ut Regula, Statuta, Breviarium et Missale ordinis in linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus nobis proximis institisse Patres Armenae Provinciae ordinis Praedicatorum, quo sibi licet typis mandare sua Breviaria ac Missalia e latino in Armenum idioma translata, annuitque precibus congregatio Romanae Universalis inquisitionis habita octava Idus Sept. 1713. Idem factum esse novimus cum Rituali, Directorio, Ka-

¹⁾ Constitutiones selectae. „In superiori.“ Num. XCIII.

lendario perpetuo et aliis libris liturgicis, ita ut in Provincia Naxivanensi latinus in idiomate Armeno quoad omnia obtineret et exerceretur ritus.⁴ Id quod de Armenis Transilvanis qui diei possit non videmus! utuntur quidem illi ex indultu sedis Apostolicae in Divinis Missali latino PP. Dominicanorum in Armenum idioma traducto, at ex eo nihil sumunt, praeter primam orationem, Lectionem et Evangelium, reliquum peragunt juxta S. Ioannis Chrysostomi, seu canonem missae, Romac Venetiis aut Viennae impressum et praedicto Missali insertum. Ritus igitur sacrificii Missae apud illos pure orientalis armenicus atque idem est ac apud omnes passim per orientem et occidentem Armenos Catholicos. Breviarium Transilvanorum pariter antiquum illud est et originale armenium quod sancti Ecclesiae Armenae Patres et Doctores composuerunt. Idem dicendum de Hymnologio, Martyrologio, Directorio perpetuo, aliisque libris liturgicis. Sacra-menta et Sacramentalia administrant juxta Rituale a Visitatore Apostolico Stephanovics Roska Anno 1729 Transilvanis prae-scriptum, ritui et consuetudinibus Ecclesiae Armenae apprime consentaneum, quo et Poloniae utuntur Armenii. Festa et jeju-nia post receptionem novi Kalendarii eadem atque eodem tem-pore observant cum Latinis, quod tamen non obstat, quominus propria quoque Ecclesiae Armenae celebrent Festa. Signanter festum S. Gregorii Illuminatoris rite solemni, aliorum item Sanctorum Martyrum et Confessorum natalitia debito cultu recolant. Ceterum Gregorianum sequuntur Kalendarium, et illi se quantum ad Festa et jejunia conformant non modo qui Transilva-niam incolunt Armeni, sed et in Polonia Viennae, Venetiis Ro-mae et quantum quidem mihi constat quieunque in oriente Sacrae unioni subscripsere Armenii, ut ex mutatione Kalendarii ad mu-tationem ritus argumentum duci, et ex conformitate festorum et jejuniorum ad ritus armeni cum latino conformitatem, concludi qui possit? Omnino non videam, maxime cum constet, inde ab emendatione Kalendarii per felicis recordationis Gregorium Pa-pam XIII. eam fuisse sedis Apostolicae voluntatem, ut illud apud orientalis quoque ritus Ecclesias per occidentem dispersas sensim introduceretur. Ideo Italo-Graecis (inquit Benedictus XIV) qui inter nos vivunt et regimini subjiciuntur Latinorum Episcoporum in quorum Dioecesis constitutum habent domicilium ab Apo-stolica sede mandatum fuit, ut se ad novum Kalendarium confor-

arent, uti videre est in Constitutione praefati summi Pontificis. „Etsi Pastoralis“ §. 9. num. 3. item „Allatae sunt,“ num. 45. Eadem Sancta sedes censuit conniveri posse cum Armenis Catholicis Liburni in portu commorantibus, qui novum Kalendarium recipere renuebant circa usum Kalendarii Veteris, sed tantum donec ipsi ad omninodam Kalendarii Gregoriani observantiam disponantur et interim ad sedis Apostolicae beneplacitum ibidem num 45. Ex eadem Encyclica porro disimus Maronitas in synodo Provinciali habita anno 1736 novum Kalendarium recepisse seseque eidem tam in jejuniis quam in Festis anni diebus, sive mobilibus sive immobilibus observandis conformare velle obligasse, quin ulla factu ritui suo detrimentum attulissent aut adferre intendissent.

Ritus Armenus ut jam diximus olim in Transilvania in pluribus, hodie in quatuor exerceetur locis nempe: Armenopoli sive Szamosujvarini, Elisabethopoli, in Gyergyoszent Miklós, et in Csik-Szépviz, quae totidem constituunt dicti ritus Parochias octo usque novem mille animas universim numerantes. Exstitit in Hungaria quoque Parochia ritus Armeni Neo-Plantae in Archidiocesi Colocensi, quae ab Armenis sub initium Sacculi decimi octavi Belgrado potissimum co commigrantibus erecta et a Patribus Antonianis Congregationis Mechitharisticae Venetae administrata, stetit usque annum 1848. quo anno Templo et Coenobio in turbis Civilibus solo aequato, extincta est Anno 1856 restaurata opera et fatigiis Congregationis Mechitharisticae Viennensis, animarum curatorem ex eademi accipit congregatione. Quae igitur in praesenti Libro de ritu Armeno in genere, et in specie de ejus vigore ac integritate in superioribus diximus, ea de praefatis quatuor locis, et de Armenis ea incolentibus intelligenda veniunt. Qui enim extra dicta loca per Transilvaniam et Hungariam degunt Armeni, nulli amplius ritum armenum exerceent, sed per omnia et in omnibus ritum latinum, estque numerus illorum si non major, par certe illis, qui in avitis sedibus, linguam, ritum et instituta Patrum inter varias licet vicissitudines adhuc dum conservant. Cumque numerus priorum, per novas, e quatuor supra dictis locis emigrantium colonias in dies crescat, anxia tenemur cura, ne ritus Armenus, in iis etiam Parochiis, in quibus actu viget, non sine ingenti rei Catholicae detimento, cum tempore penitus deficiat. Cujus interitum, principium, ritum Arme-

num in Transilvania, si idioma excipias. a Latino non differre, acceleratum ibat.

Unicus potest adferri casus, in quo, ex eorum, quae saepe laudatus Antistes, a sede Apostolica petiit, concessione in ipsum quoque Armenum ritum quodpiam redundasset emolumendum. Si nimirum armenis Presbyteris extra proprii ritus Ecclesias, per civitates et oppida, in queis major Armenorum consedit multitudo ad curam Animarum dispositis, data fuisset facultas, latinis quidem latino, armenis vero Armeno ritu Sacra menta administrandi, ut hac ratione dum spiritualibus populi latini ritus fidelium consultum fuisset necessitatibus, una etiam Armenorum per Transilvaniam quaestus causa dispersorum, spirituali consolationi et ritus nativi inter illos conservationi prospectum fuisset. Dum ex adverso actu, nec iis quidem Armenis, qui in vicis et oppidis, Ecclesiis Armenorum proxime adjacentibus commorantur proprium amplius ritum exercere integrum esse moesti conspiciamus.

Nolim autem in animum sibi quis inducat, nos hic nomini praeclari Praesulis, ejus petitionem recensuimus invidiam creare voluisse, absit! quin grati recognoscimus eundem, gentem et ritum Armenum singulari paternae benevolentiae affectu prosequutum semper fuisse. Ut nullus sit dubio locus, optimum Praesulem optima voluntate animatum suam ad sedem Romanam promovisse petitionem, quo scilicet, tum penuriae operariorum in Dioecesi suceurreret, tum tristem cleri Armenici sortem relevaret. Quod si enim praescindamus ab iis, quae ex impetrata petitione, in quaestione posita in ipsum Ritum profluxissent incommoda; parte ab altera negare non possumus, non levia exinde in Ecclesiasticas dicti ritus Personas redundatura fuisse emolumenta, ex angusto quippe ac isolato, in quo actu reperiuntur statu elevati, propiusque latinis admoti, eodem forte cum iisdem loco et gradu habiti, conditione gavisi fuissent, multo ac nunc benigniore. Itaque Juvenes in sortem Domini vocati, alumnis Seminarii cleri junioris adscripti, sumtibus Dioeceseos educari, et qui scientia et moribus dignos se vocatione sua probassent, per ipsum Transilvaniae Ordinarium ad Titulum Dioecesis ad sacros ordines promoveri, et per eundem jam in Parochiis Armenorum jam alibi per Dioecesim passim ad curam animarum disponi oceperissent, sicque Armeni Latinis mixti, ipsi quoque ad munia et beneficia Ecclesiastica in Dioecesi sine ritus et nationis discri-

mine appliciti et promoti fuissent. Viribus autem ac senio confectis eorum Sacerdotibus congrua intentio ad residuos vitae dies quiete exigendos e fundo Dioecesano deficientium denegata non fuisset. Nunc vero longe diverse res eorum se habent, imprimis cleri Armeni ad Dioecesim relationes sunt incertae et indeterminatae, adeo, ut quacri jure possit: an pro Dioecesanis ab ordinariatu habeantur? cum omnino instar extraneorum tractentur. Itaque onera Dioecesis ferre, commoda nulla sentire; in fundum Dioecesanum nascentis et deficientis cleri conferre, exinde autem non participare. Sors cleri Armenici saeculo superiore, quamdiu sub immediata stetit Sacrae Congregationis de Propaganda Fide cura ac protectione, erat uteunque tolerabilis, at ex quo in sequelam infaustorum Justi Febronii Principiorum suaves hae ac beneficiae relationes cessarunt, evasit multo detrior. Clericis nostris, qui antea sumtibus sedis Apostolicae educabantur, et ad Titulum Missionum exterarum ordinabantur, inde ab eo tempore cum infinitis collectandum est difficultatibus et sumtus faciendi immensi, donec ad Sacerdotium perveniant et dum pervenerunt, quae illos manet sors, est sors noverca privignorum et orphanorum vero ac germano Patre, qui rebus eorum secundis congratuletur, adversis condoleat, necessitatibus succurrat, quive paterne illos foveat et protegat destitutorum. Itaque si quis probus ac ingenuus e natione Armenia Juvenis ad Altaris Dei, secundum instituta gentis vocatum se sentiat ministerium, cum ad Armenum Sacerdotium destinatus, sumtibus Dioecesis in Seminario Cleri junioris alatur nemo, terminato autem studiorum Theologicorum cursu titulum Dioecesis ad ordines Sacros consequantur paucissimi, primum quidem illi de sumtibus, quibus in Seminario Episcopali per Quadriennium et stante Philosophia per integrum sexennium subsistere possit, tam de titulo mensae aut Patrimonii ac demum de sumtibus itineris ordinum sacerorum suscipiendorum causa Viennam aut Leopolim instituendi prospiciendum erit.

Jam quotusunque ille est, cui cuncta haec e proprio suppetant penu, aut qui tam munificos nanciscatur Patronos, qui recentia eidem subministrent. Ex dietis pronum est intelligere, quare ritus Armeni Sacerdotum alii ad titulum Patrimonii, alii ad titulum mensae Patroni alicujus, alii ad titulum communitatis sive Ecclesiae, cujus se servitio addicunt, alii denique sed rarissimi ad

titulum Dioecesos ordinati reperiantur. Adest quidem una alterave pro clericis Armenis, a piis hujus nationis viris facta fundatio, ut infra videbimus: ast cum alterius Alumnis ab Armeno ad latinum transire ritum prohibitum non sit, alterius autem plane liberum sit, inter latinum Armenumve, absoluta Theologia eligere ritum, fit, ut plerique corum, parte ab una iis, quibus sacrorum ordinum juxta Armenum ritum susceptio conjuncta est difficultatibus, ipsum autem Sacerdotium patet incommodis deterrit; ab altera vero commodis atque emolumentis, quae sacrum latini ritus promittit ministerium illecti, ritum amplectuntur finito studiorum cursu latinum. Firmam habeat ad statum Ecclesiasticum vocacionem, et non modo honoribus quibusvis ac dignitatibus carere, sed et penuriam atque egestatem ferre injurias, contumelias et persecutiones pati noverit oportet, qui Armenianum in Transilvania amplectitur Sacerdotium. Quid porro de deploranda illorum dicti ritus Sacerdotum Conditione dicam! qui morbo aut senio confecti, sacrum amplius ministerium obire ac officio suo defungi nequeunt, nequidquam illi opem implorant ordinariatus, frustra longam annorum in eura animarum aut juventutis institutione exactorum computant seriem, in vanum intemeratam allegant vitam, nihil illis titulus Dioecesos ad quem forte ordinati sunt, nihil praestita Dioecesi utilia servitia opitulantur, et ni confratrum benevolentia tenuem cum illis dividat panem, ni cognitorum succurrat Charitas et popularium accedat commiseratio, benemeritus Ecclesiae servus et Verbi Dei Minister, postremos vitae dies in summa egestate et rerum omnium penuria exigere cogitur.

Illiberalis haec cum Armenis agendi ratio, tanto magis nostram excitat admirationem, quod p[re]e manibus babeamus conplures officii Dioecesani Apochas, aliaque p[rae]esto sint instrumenta litteraria, quae indubie docent: Armenos Sacerdotes summas notabiles, in fundum Dioecesis utrumque, seminarii scilicet Cleri junioris, et Deficientium Sacerdotum, tum ipsos vita comite contulisse tum iis fatis funetis, ex eorum baud seuis ac ex aliorum hujus Dioecesis Presbyterorum posthuma substantia, certam portionem in rationem p[re]dictorum fundorum desumtam fuisse. Quod p[rae]ter indigitata superius documenta, ipsa Dioecesana quoque Seminarii cleri junioris et Capituli Tabularia abunde testatum faciunt, et tamen non recurrit ab hominum memoria exemplum ritus Armeni Presbyterum Viribus et actate fractum e fundo

Dioecesano non dico sustentatum, sed ne obolo quidem unquam adjutum fuisse. Nostra haec aetas plures vidi hujus ritus, bene meritos vineae Domini Operarios physice deficientes sorti suaे per almam Dioecesim Transilvanam relictos.

CAPUT XX.

Imperator Josephus II-dus de conversione Armenorum Schismaticorum in neo-aquisita Bucovina sollicitus, inquirit in rationem et adjuneta conversionis Armenorum Transilvanorum. Controversia circa Jurisdictionem in Armenos Transilvaniae inter Archiepiscopum Leopoliensem Armeni ritus et Episcopum Transilvaniae coram eodem gloriosae memoriae Imperatore agitata manet indecisa.

Acquisita anno 1776 a Turcis Bucovina gloriosae memoriae Imperator Josephus II-dus pro innata Augustae Domus Austriacae Principibus pictate, primas statim curas eo convertit ut Armeni in dieta Provincia habitantes, depositis quos fovent erroribus et exuto Schismate ad sinum Catholicae Ecclesiae revocarentur. Cum autem nosset Transilvanos quoque Armenos iisdem olim imbutos fuisse erroribus ab Episcopo Transilvaniae Comite Ignatio Batthyani, de conversionis ipsorum ad Fidem Orthodoxam mediis et adjunctis nec non de ratione et adminiculis quibus id ipsum apud Armenos in Bucovina operari posset informationem petiit. Qui, quo promptius et exactius Altissimo Regis Apostolici satisfaceret desiderio, Parochi et Cleri Armenopolitan, quibus quaesita propius cognita esse poterant, Litteris de dato 7 Mayo 1783 requisivit sententiam, tenoris sequentis: „Quum Saceratissimae suac Majestati innotuerit Armenos, qui in Szacsova aliisque Bucovinae partibus degunt impio Eutychis errore infectos esse, informari desideravit Eadem, qua ratione quibusvis adminiculis iisdem ab Eutychianismo ad veram fidem converti possent. Quia tamen hujates quoque Armenos in iisdem olim erroribus versatos fuisse constat, harum serie committo D. Vestrae, ut de origine ac circumstantiis conversionis suaे, quibus item viis et mediis in eadem tam feliciter confecta progressum fuerit, accuratam et quantum ex protocollis aut archivis per diligentem eorum excussionem erui potest genuinam relationem adornet.

Non intermittat D. Vestra acquirendis etiam, quae ad rem faciunt litterariis instrumentis et mihi submittendis eam navare operam, ut solatium quod ex hodierna oppidi hujus nationis fide et constantia Ecclesia Catholica percipit amplissimum, illorum conversione nova accessione cumuletur. Quo autem fieri potest citius laborem hunc perficere satagat ac una sequentes libros mihi transmittat D. Vestra.

1. Evangelium Domini Nostri Jesu Christi impressum in Typographia Ioannis et Jacobi anno ab Illuminatore S. Gregorio 1218.

2. Biblia Armenica absque loco impressionis.

3. Epistolam S. Pauli, vel 2. Librum officii in eandem et honorem antiquorum Regum Armenorum compositum sub Pontificatu S. sedis Domini Eliazari. Venetiis anno salutis 1686 ab Illum. vero S. Gregorio 1133.

4. Librum Concionum impressum Constantinopoli Anno Armenico 1198.

5. Psalterium impressum Constantinopoli cum licentia Patriarchae Lazari.

6. Librum Festa monstrantem seu Directorium perpetuum anno Arm. Salutis 1774.

7. Historiam S. Gregorii Illuminatoris.

Hos libros pro desiderio Majestatis suac Sacratissimae acquirat mihi D. Vestra apud quoscunque deum reperiri possint, qualemque fuerit eorum pretium, libens persolvam, addat etiam D. Vestra an, et qualiter in usu sint, praeterea cuperem eundem in finem habere Specificationem librorum virus Schismatis continentium, qui tum pessimi sunt, tum in manibus plurimorum versantur, non secus etiam librorum ad conversionem et institutionem Armeniae Nationis conscriptorum, quae omnia cum clero conferat, ut collatis consiliis plenam informationem depromere valeat.

Armeni Bucovinae ejusdem sunt cum Armenis Poloniae et Transilvaniae originis, ejusdem scilicet olim in Armenia urbis Anii incolae, socii emigrationes et consortes adversitatum ac vicissitudinum, quas natio haec in diurna sua sustinuit peregrinatione. Ejusdem quoque olim religionis a centro unitatis fidei separatae consortes. Qui Schismaticis Moldaviae Principibus subjecti, popularibus suis in Polonia saeculo XVII in Transilvania

saeculo XVIII. Ecclesiae Romanae reconciliatis, in Schismate et erroribus perstiterunt, negotium quippe conversionis, quod, Bu- covina juris austriaci reddita, auspicis summi terrae Principis, susceptum fuerat, apud illos, ut ex effectu colligimus, frustratum est. Itaque illi subsunt hodie jurisdictioni Patriarchae Hierosolymitani, linguae, ritus et consuetudinum antiquarum tenacissimi cultores. Situ locorum Polonus inter et nostros Armenos medii, frequens illis est cum utrisque, praesertim cum Armenianopolitanis commercium. Unde non levis affulget spes, fore ut gratia aspirante divina, horum secuti exemplum sacram amplectantur unionem. Ad quam promovendam, nihil profecto magis conferret; quam si res Armenas circa se, apud Catholicos suos populares, meliori, ac sunt loco, positas cernerent.

Anno Domini 1786 gravis orta est inter ritus Armeni Archiepiscopum Leopoliensem et Episcopum Transilvaniae circa Armenos Dacicos controversia, Praesule utroque ad suam illos pertinere Jurisdictionem contendente. Petitionem, quam praefatus Archiepiscopus hoc in merito Imperatori Josepho II. exhibuit, quamve idem Augustissimus Episcopo Transilvaniae communicavit, iniquitas temporum nobis invidit, praeccipua tamen rationum momenta, quibus jus suum in Armenos evincere nititur, discimus ex opinione ven. capituli Albensis Episcopo Transilvaniae hac de re data. Quapropter memoratum Documentum, quod in origine possidemus, quodve multa admodum continet, quae ad anteactorum temporum universim, in specie vero quaestiones controversae notitiam conferunt, heic per extensum damus, idem etiam cum piae memoriae Episcopi facturi responso, ni illud relationi Capituli paucis exceptis, esset conforme.

Excellentissime etc. Prompte pro debito paremus jussis Excellentiae Vestrae, atque opinionem nostram circa postulata Domini Archiepiscopi Leopoliensis in aduloso scripto demisse depromimus, in assiduo singularis venerationis cultu jugiter perseverantes.

Albae Carolinae die 14. 7-bris 1786

humillimi servi, Capitu-
lum Ecclesiae Albensis
Transilvaniae.

Opinio super petitione Domini Archiepiscopi Leopoliensis Armenos Transilvanos suae Jurisdictioni subjici per reincorporationem postulantis.

Motiva et Argumenta Domini Archiepiscopi ad suae petitionis istius complementum adducta sunt sequentia.

Primo: Quod posteaquam natio Armena sub finem proximi saeculi ex Moldavia et Valachia propter Turcicas hostilitates in Transilvaniam velut in locum refugii se recepit, mutata hac sua locatione a recognitione Jurisdictionis Archiepiscopi Leopoliensis qua sui ordinarii nunquam se subtraxerit. Verum usque ad medium currentis seculi XVIII. sub illa perseveravit. Episcopi qui illi subinde dabantur pro suffraganeis illius Archiepiscopatus fuerint reputati. Atque ideo ante quadraginta solum et aliquot annos coeperit illa quocunque demum fato Latini Episcopi Transilvani Juribus subdi, neque Antecessores sui, suam in illam Jurisdictionem potuerunt vindicare, propterea quod illa tum sub extraneo dominatu fuerit constituta.

Secundo. Quod illa ejusdem nationis praetensa subjectio, actis Armenorum illarum Ecclesiarum et ipsamet fors seniorum memoria comprobari possit.

Tertio. Quod obtenta ejusdem reincorporatione unice possit intacta disciplina Armeno-Ecclesiastica et Ritus in eadem conservari, neque his ab Episcopo Latino, ceu ritus et linguae ignaro satis provideri possit.

Quarto. Quod cum Clerus in ejusdem nationis oppidis copiosus sit, superflua ejus numerus ad euram animarum latini ritus applicetur, is proinde numerus utilius converteretur ad euram animarum Armenarum in Galicia, cum idem Dominus Archiepiscopus Cleri ibidem et curionum Ecclesiasticorum penuria laboret.

Quinto. Quod haec penuria e defectu juvenum ad clerum aspirantium et ex notabili distantia studii Philosophici proficiscatur.

Sexto. Quod ex illa reincorporatione utiliora commoda hoc eodem puncto recensita in populum et clerum provenirent.

Quantum igitur jam est ad primum argumentum priusquam ad contrariam hac in re Domini Archiepiscopi expositam representationem procedatur, opere pretium fuerit, ortus et progressus Armenorum in Transilvania historicam praemittere narratio-

nem, quae sic habet: Dum sub annum 1669 Turcae vastata Armenia ad arcem Camenecum oppugnandam proficiserentur, eorum metu percusae ter mille circiter familiae Armenicae, in Moldaviam ac Polonię primum, inde vero non paucae ex illis in Transsilvaniam sese infuderunt, ultra admittente ac acceptante illos Principe Michaele Apaffi, quarum pars in Gyergyó-Szent-Miklós, pars in Csik-Szép-Viz, pars Bistriczii, cum suis Episcopo Minas dicto et Clero adhuc Schismatico-haereticis consedit. In dictis Szent-Miklós et Szépviz considentes potestatem sub spe conversionis suae petunt et obtinent a Generali in Transilvania Vicario Bartholomaeo Zebelébi utroque in loco pro suis sacrorum usibus oratoria erigendi. En initium ordinariae Jurisdictionis Ecclesiasticae Transilvanicae latinae in Armenos. Iis omnibus adhuc sub schismate ac haeresi potissimum nestoriana, coequentibus, supervenit circa annum 1684 e Romanis studiis missus in Transilvaniam quidam Sacerdos Oxendius Verzirescus dictus, quo subinde apostolice operante, Minas eorum Episcopus cum suo clero ad Romanam fidem conversus, postquam illo duce Leopoli in Polonia coram Cardinale Pallavicino Apostolicae sedis ibidem Nuntio, Fidei professionem dixisset, redux in Provinciam paulopost vita decessit. Porro Oxendii zelo et opera, tota gens illa Armena per Eliam quemdam suae Nationis Sacerdotem aliosque numero octo Leopolim ad Apostolicum Nuncium Pallavicini successorem Cardinalem Cantelmum ablegatos, eoram eodem Romanam fidem publica et communi professione amplexa est, orans ab Innocentio XI. Pontifice, ut Oxendum de se se optime meritum Episcopali munere ac honore donaret, quod et factum est, dato ipsi Titulo Episcopatus Aladiensis in Hibernia, ipsoque in Vicarium Apostolicum super totam Gentem constituto, qui subinde sede sua Bistricii fixa, colebat gentem suam in spiritualibus gnaviter, obtentaque ab Imperatore Leopoldo venia, Szamosujvariensi nunc Armenopoli dicto oppido condendo admovit manum, ac dum illi jam suae nationis populo utcunque pleno Liberae Civitatis jus Viennae procurat, ibidem vitæ suae apostolicisque laboribus finem facit. Ipso demortuo concives sui in Religionis negotio turbas concitant, quas latinus Episcopus Transilvanus Georgius Baro Mártonffy, in quem jus in illos tanquam antea vagos et adventitios, postea vero in sua Dioecesi jam domiciliatos, post Oxendii Apostolici Vicarii decessum optimo jure fuerat

devolutum sedavit, praefecto illis in Parochum et Pastorem Michael Theodorovics Sacerdote Armeno a se sacris ordinibus initiato, sub quorum proinde utrorumque directione Schismatico-haeretica superstitione inter illos uteunque finem accepit, ac Fides et Religio Romano-Catholica hodie dum perdurantem consecuta est stabilitatem.

Jam igitur quamquam id quod Armeni Transilvani sub finem prioris saeculi ex Moldavia vel fortassis etiam Valachia Transalpina immigraverint in Transilvaniam disputari non possit, quod tamen usque ad medium currentis saeculi Leopoliensi Jurisdictioni fuerint subjecti, istud tam diu negationem meretur, donec contrarium indubiae fidei monumentis aut exemplis stabiliiatur, idque tanto magis quod Metropolitica Sedes Leopoliensis illo tempore, quo Armeni illi in Moldavia degebant, Romanis sacris fuit addicta, cum illi id temporis Schisma Photianum atque haeresim simul Nestorianam partim, partim Jacobitanam alii Monotheleticam fuerint professi, quod communis eorum tenet historia, vix conceptibile est, tanto minus credibile, quod sustinuerint Romano-Catholicis illius sedis juribus subesse. Si vero illa, cum ipsis tenuit Religionem utique per conversionem in Transilvania susceptam, desierunt illius esse Jurisdictionis. Deinde scilicet illi in Moldavia et Valachia peregrini tantum et adventitiis fuerint, potuerunt tamen ibi moram agentes Leopoliensi jurisdictioni subesse, quanto magis debuerunt mutata illa in Transilvaniam, hujus ordinarii juribus subjacere, ubi stabilia fixere domicilia? neque enim communitas aliqua ex avita sua sede in aliam Provinciam emigrans, priorem cui suberat jurisdictionem secum transfert, sed novae, novi sui domicilii juribus subjicitur. Atque ideo sicuti certum est, tam ex monumentis, quam ex Patriis historiis, quod post exclusionem e Transilvania Episcoporum posteriorum Pauli videlicet Abstemii anno 1556 ac Demetrii Napragi anno 1601. Augusti Hungariae Reges Episcopos ad titulum Transilvaniae constanti serie nominaverint, illi vero semper suos Vicarios Generales, per ipsosmet etiam non Catholicos Principes Transilvaniae ex dictamine Approbat. Constit. Part. 1. Tit. 7. articulo unico approbatos, semper in Transilvania residentes habuerint, ita verius certiusque est, quod dieti quoque Armeni per Transilvaniam dispersi, post suam conversionem corundem Vicariorum juribus fuerint in Spiritualibus obnoxii, et id quidem tanto magis, quod

undecimo aut duodecimo post conversionem Armenorum anno quae fuit sub Oxendio 1684. vel 85. id est 1696 primum novac fundationis Episcopum Andream Illyis in Transilvaniam Canonicae visitationis gratia venisse, et cum decesset illi sufficiens Episcopalis subsistentiae peculium in Hungariam reducem, sui loco Vicarium generalem Joannem Antalfi Parochum Csik Szent-Györgyensem reliquise extra omne dubium sit positum. Quid quod fide praemissae historiae vel ipsimet primi Armeni adhuc in Schismate et haeresi detenti ab ejusmodi vicario Bartholomaeo videlicet Zebelebi obtinuerint facultatem ad oratoria in suos usus condenda. Non igitur videtur e vero adstrui posse, quod iidem Armeni nonnisi a medio currentis Saeculi coeperint juri- bus Latinorum Episcoporum Transilvaniensium subesse. Nova enim et firmior Transilvaniensis Episcopatus fundatio posita est sub anno 1716. illumque adivit 19-na Februarii ejusdem anni Georgius Baro Mártonffii in Armenis in Religione stabiendi multum elaborans. Huic successor datus anno 1724 Joannes Antalffii, huic suffectus anno 1729. Georgius Baro Zorger, hunc excepit anno 1741 Franciscus Baro Klobusiczki. Cujus locum occupavit anno 1749 Sigismundus Baro Sztojka, huic suffectus anno 1759 Josephus e comitibus a Bathyan, huic anno 1760 Josephus Baro Bajtay, denum anno 1772 huic Pius Manzader, huic denique anno 1774. Ladislaus comes a Kolonics. Hos vero omnes, maxime vero ab anno 1716 in omnes Transilvaniae Armenos Episcopale jus ac regimen exercuisse, et quidem absque ulla Leopoliensis Metropolitae, aut gentis ipsius intercessione certum clarumque fit, tum e praemissa historica deductione, tum ex actis visitationum, Institutionis Archidiaconorum, Parochorum, Decretorum, Edictorum, Eencycliarum et Episcopalium, tum etiam e Rescriptis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide dictae, quippe quae circa eorundem Armenorum negotia, directe semper et immediate cum iisdem Episcopis, non autem cum Leopoliensibus Metropolitis tractavit in praesentiarum usque, quae omnia passim exstant, partim in Episcopali Transilvanico partim in ipsiusmet Armeni cleri Szamosujvariensis et Ebesfalvensis nunc Elisabethopolitani Tabulariis. Unde liquet vel ipsam etiam Sacram Congregationem agnovisse eorundem Episcoporum - in ipsis Armenos juris legitimatem. Et profecto si nullus alias, vel solius legitimae praescriptionis titulus, annorum videlicet non

40 solum, qui ad particularium jurium Ecclesiasticorum prae-scriptionem sufficiunt. Verum in praesentiarum usque, plus mi-nus 70, jus in illos Transilvaniensium Episcoporum sufficienter stabilitum reddit.

Clarum praeterea est ex his praemissis non ita rem se ha-buisse, quod qui Armenis istis pro Episcopis dati fuerunt, pro suffraganeis Leopoliensibus fuerint reputati. Praeter unum enim Oxendum, nullum alium ipsis praefuisse sui ritus ac Nationis Episcopum Catholicum, sed neque hunc Leopoliensis Metropoli-tae suffraganeum. Verum Apostolicum vicarium, neque illum ad titulum alicujus Episcopatus vel Polonici vel Armenici, verum Hibernici consecratum fides praecitatae historiae, utique e credi-bilibus monumentis elaboratae palam evincit. Nec juvat quidquam quod primi Armeni pro fidei professione depromenda Leopolim accesserint, non enim ad Metropolitam, sed ad Nuntium Aposto-licum eo perhibentur accessisse, et in ipsius non vero Metropoli-tae manibus deposuisse professionem, id vero factum ideo fuisse credibilius est, quod non invenerint proprius sibi adjacentem Apostolicum Nuntium.

Verum equidem est, quod sub priorum Episcoporum Tran-silvaniensium regiminis tempore, memoratus in adducta Historia Parochus Szamosujvariensis Michael Theodorovics eum iisdem suis Parochianis multum apud Augustam Aulam elaboraverit, ut distinctum nancisci possent sui Ritus Episcopum, et ut is idem ille Michael esse posset, atque in hunc finem fundum etiam pecu-niarium pro illius mensa undecunque demum congregaverint. Verum enim vero practerquam quod Latini Episcopi Transilvani his eorum conatibus usque adeo adversati fuerint, ut res ad ho-diernum usque adhaeserit. Iisdem conatibus eorum adversarios se posuerunt Ebensesfolvenses Clerus et populus, malle se se porro quoque iisdem Episcopis latinis subesse declarantes. Quamquam nec sollicitantes illi postulasse dignoscantur, sibi de distineto suae nationis Episcopo cum dependentia a Leopoliensi provideri.

Ad Secundum. Quod corundem Armenorum praetensa a dicta Metropolitica sede dependentia, actis Ecclesiarum illarum seniorumque memoria comprobari possit, propter praemissa con-traria haud sine ratione dubitari potest. Quin imo fortassis lucu-lentius ex iisdem documentis si sincere ederentur doceri posset, id, quod ex traditione habemus, quod postquam inter eosdem

Armenos Sacrae unionis atque conversionis ipsorum negotium feliciter confectum consummatumque fuisset, per Augustam Aulam superior in Sacris cura ipsorum, atque protectio non sane Archiepiscopo Leopoliensi, verum Strigoniensi tum Cardinali ac Primati Kollonicsio ejusque successoribus non quidem uti Metropolitanis, sed ut Protectoribus fuerit concredita. Et profecto nullum prorsus exstat ad nostram notitiam ac memoriam exemplum exerciti alicujus juris Metropolitici Leopoliensis in eodem Armenos, si solum paucorum Clericorum eo e Transilvania commigrantium, studium Scholasticum et Ritus ibi exercitium, eorundemque ad Sacros ordines promotio excipiantur, sed et hi illi tales plerique fuerunt, quibus ad ejusmodi studia suscipienda, Romam proficisciendi adminicula defuerunt, ac eorum etiam plerique sacrorum ordinum suscipiendorum gratia non nisi cum Dismissoriis Litteris Episcoporum Transilvanensium emigrarunt illuc, reliquum enim Cleri ipsorum corpus, maxima in parte Romae apud Congregationem de Propaganda Fide consummarunt sua studia, ibidemque fuit Sacris ordinibus insignitum, id quod publice et in commune notum est.

Ad Tertium. Hie adducta motiva congruitatem quamdam suadere possunt, sed subjectionem probare non possunt. Certe quantum est ad Ritum et disciplinam nationis et Cleri illius, Episcopus latinus Transilvanus utriusque curam inde ab anno 1716. tanta cum circumspectione atque discretione gessisse, ut nullae propterea obortae fuerint seu in clero seu in populo querelae, nullique defectus emerserint, nec facile decrevisse quidquam circa illum et illam ipsos, ad quod decernendum ab Sacra congregazione praedicta, vel consilium non accepissent vel paeceptum, palam faciunt acta in citatis Tabulariis prostantia. Nec ulli fuit aut esse potuit in moderandis illis impedimento idomatis ipsorum ignoratio, hanc enim sufficienter supplevit suppletque lingua Latina et hungarica, utpote quarum, et illius quidem Clerus, hujus vero Populus sufficienter est gnarus. Et quot quaesumus utilissime et absque defectu reguntur nationes per Principes, quot populares Ecclesiae per Praelatos non connationales?

Ad Quartum. Quod superfluuus Cleri ipsorum numerus curae animarum ritus latini fuisset aliquando admotus, id nulla prodit memoria, nec nisi de illis solum verum est, qui clericale institutum in Seminariis amplexi ad Latinum ritum se se fecerunt ordinis

nari, cleroque ejusdem ritus se se aggregari. Num vero adsit illos inter superfluus talis numerus ex quo necessitates Leopoliensis vel Galiciae populi suppleri sarcirique possent, de hac ipsiusmet cleri atque utriusque civitatis partium esset respondere, utpote ad quarum titulum est ille majori in parte ordinatus. Atque ideo

Ad Quintum. Undecunque demum proveniat penuria illa clericorum, clarum est, quod hoc impedimentum aliis sit adminiculis per praetendentem Dominum Archiepiscopum, non alieni juris vendicatione amoliendum, proinde

Ad Sextum. Comoda quoque atque emolumenta hoc puncto reeconsita aliis sibi bene visis modis sint procuranda.

Atque ita ex his omnibus concludimus, postulato Domini Archiepiscopi praetendentis, absque insigni vulnere jurium Episcoporum Transilvaniensium deferri non posse nec debere. Cum autem quidam de Clero Szamosujvariensi perhibeant, exercuisse aliquando in medium ipsorum quosdam Praepositos, seu alterius sortis Ecclesiasticos viros e Metropolitana sede Leopoliensi tanquam Apostolicos Delegatos, eosque inter ipsos varia statuta condidisse, confraternitatesque erexisse, attamen cum approbatione Episcopi Transilvani Baronis Zorger, ideo, an non e re foret, hac super re illius quoque oppidi Clerum audire, pendet a sapienti Excellentiae vestrac arbitrio. Albae Carolinae die 13 septembbris 1786.

Ulteriora quaestionis hujus fata sunt nobis ignota, totius autem controversiae originem repetimus inde, quod Melchisetas primarius Armeniorum Patriarcha, sede Ecsmiadsinensi a Schabas Persiae Rege initio saeculi XVII. eversa, solum vertere coactus, Leopoli, quo se reeoperat, Nicolaum quemdam ritus Armeni Presbyterum anno 1626 in Leopoliensem ritus Armeni Episcopum consecravit, atque Armenos in Polonia, Bucovina, Moldavia et Valachia habitantes id temporis maximam partem utique Schismaticos ejusdem subjicit Jurisdictioni. Verum paulo post hic idem Nicolaus meliora edocitus, ejurato Schismate in sinum Catholicae rediit Ecclesiae, atque conatibus ejus obsecundante Philippo, Melchisetus in sede Ecsmiadsinensi successore, qui ipse quoque Sacrae Unioni nomen dederat, cunctos qui Leopoli et in Polonia erant, codem secum perduxit Armenios. Ceteris in Moldavia et Valachia in Schismate permanentibus. — Hoc

non obstante tum Nicolaus, qui postea in praemium laborum suorum Archiepiscopalibus fuit ab Urbano VIII. insignitus honoribus, tum ejus successores titulum Episcopi Moldaviae et Valachiae retinuerunt, scribere se soliti: Archiepiscopos Leopolientes, Episcopos Moldaviae et Valachiae omniumque per totum Poloniae Regnum Armenorum, atque hac ratione dictarum Provinciarum Armenos, quamquam a Sacris Romanis alienos, nunquam non ut gregis divinitus sibi crediti portionem, errantem quidem illam, sed cuius conversio per gratiam Dei in dies speratur et quam operari ipsis paeprimis incumberet considerarunt, et quidem etiam tunc, dum dicti Armeni potiori sui parte in Transilvaniam commigrarunt. Sciendum enim Armenos nostros sive quod e Moldavia et Valachia in has terras venissent, sive quod intentionem, cessante Turcica hostilitate, eo postliminio redeundi, ut ex traditione tenemus, nondum penitus deposuissent, longo adhuc post tempore Armenos Moldaviae et Valachiae ad tempus in dispersione Siculiae et Transilvaniae existentes dictos fuisse. In fidem asserti provocamus ad Diploma Vartani Hunaniani Capite XI. per extensum a nobis adductum, in quo inter cetera legimus: Vartanus Hunanianus Dei et Apostolicae sedis gratia Archiepiscopus Leopoliensis Nationis Armenae. Episcopus Valachiae et Moldaviae omniumque per totum Poloniae Regnum Armenorum . . . cupientes Populo nostri Ritus . . . Terrae Moldaviae et Valachiae ad praesens stante hostilitate Turcica in Transilvania degenti, uti et tanquam Jurisdictioni et regimini nostro, ex vi Diplomatis Venerabilissimi ac Reverendissimi divae memoriae Domini Melchisethi Armenorum Patriarchae, Praedecessori nostro collati subjecto etc. probat porro Bulla Alexandri VIII. qua Oxendum Apostolicum Armenorum vicarium et administratorem creavit, ubi „Ex Pastoralis (inquit) vigilantiac et sollicitudinis officio, Divinitus nobis tradito, spiritualibus necessitatibus Armenorum Moldaviae, qui nunc per Siculiam et Transilvaniam dispersi inveniuntur prospicere cupientes etc.

Eadem ratione primus Armenorum in Transilvania Episcopus Mennas, qui cum iisdem ex Moldavia venerat, quive quatuor decem adhuc annis post eorum in hanc Provinceam ingressum illis primum quidem ut Schismaticus mox ut Catholicus Praesul praefuit, titulum Episcopi Bogdaniac sive Moldaviae semper usque

finem vitae, qui anno 1686 accidit retinuit. Pariter qui primas post Episcopum in clero Armeno partes obtinuit Elias, appellabatur Archipresbyter totius terrae Moldaviae. cf. caput XII.

CAPUT XXI.

Conatus pro stabilienda cultus Divini in Ecclesiis Armenorum Transilvano-
rum uniformitate.

Ritus in Ecclesiis Armenorum Transilvaniae idem ille ubique, ut suo loco probavi orientalis atque Armenicus est; at in ejus observatione et exercitio inter Parochias dicti ritus, licet quatuor non amplius in toto regno actu censeantur discrepantia in hodiernum notabilis obtinet.

Quamdiu natio suos habuit primum quidem Episcopos, dein Vicarios Apostolicos demum Archidiaconos generales erat in gremio ipsius Nationis, centrum quoddam unitatis. Praelatus scilicet, qui cum ex ipsis esset assumptus, ac linguam, ritum, mores et instituta Armenorum nosset, atque assidue inter illos versaretur; erat qui unitati Fidei, integratati ritus et cultus divini uniformitati proprius invigilaret, qui attenderet ut ordinandi ad ritum Armenum clerici in lingua originali Armena et Sacris Ecclesiae Armenae ritibus debite instituerentur. Qui Directorium, cui cunctae se Ecclesiae conformarent, praescriberet. Verbo qui corrigenda corrigeret, ac de cunctis ad Episcopum et sedem Apostolicam referret.

Nunc autem postquam ablatum est a gente Sacerdotium et nullus adest Rector, quatuor hae Ecclesiae e regione Araratensi ab ipsis Euphratis et Tigridis fontibus in has oras transplantatae, velut totidem antea germanae sorores, arcto per suos Praelatos inter se et cum sede sancti Petri vinculo junctae, difluxere, qualibet earum distinctam in se, atque ab alia independentem constitutae Ecclesiam, locorum intervallis non minus, ac cultus divini discrepancia ab invicem separatam. Animarum in his Parochiis curatores, Directorium, quod per annum sequantur, ipsi pro se ac suis Ecclesiis singuli conficiunt. Jam vero quotusquisque est

ad hoc opus rite perficiendum idoneus! Clerici eorum emenso studiorum Theologicorum cursu, absque praevia in lingua et ritu Armeno institutione dimituntur Viennam aut Leopolim, ad Leopolim ad sacros ordines ritu armeno suscipiendum. In his rerum adjunctis sane non tam mirum variationes in ritu obtinere, quam eundem nondum penitus extinctum esse.

Verum equidem est, quod piae memoriae Transilvaniae Episcopi, signanter Josephus Mártonfi et Ignatius Szepesy, quorum memorata in ritu varietas pastoralem excitaverat sollicitudinem multum adlaboraverint, ut uniformitas in cultu divino apud Armenos restabiliretur, at quia uterque Praesul, negotium, Directorio generali, quod omnibus et perpetuo usui esset, confici posse arbitrabatur, oleum et operam perdiderunt. Josephus Mártonfi die 13 martii anno 1807. in dictum finem sequentes ad clerum Armenopolitanum dedit ordines. „Ad stabiliendum in Ecclesiis ritus Armeni hucdum non observatam in cultu Divino uniformitatem injunxi Clero Elisabethopolitano, ut projectum quodpiam Directorii generalis in latino idiomate elaboret, id quod etiam clero Szamosujvariensi hisce injungo, projectum isthoc postquam concinnatum fuerit, mihi submittatur, qui evocatis dein ex utraque civitate peritioribus e clero, Generale Directorium elaborari curabo, in omnibus Ecclesiis observandum, ex quo dein singulis annis Directoria lingua Armenica fieri queant.“ Idem negotium urget aliis Literis de dato 13. Januarii 1809. Parocho Armenopolitanu scribens inter alia: „Occasione hac D. Vestrae sequentia scribenda et intimanda habeo: ut de Directorio officii divini ritus Armeni, quod mihi exhiberi jam saepius ursi, rem cum D. Joanne Kabdebo Capellano Elisabethopolitano, qui nunc Szamosujvarinum pergit, concertare velit, et tandem illud mihi submittat, scire enim debedo, quomodo in Dioecesi mea Divina peragantur.

Decretum magnae memoriae Episcopi Baronis Ignatii Szepesy insertum invenitur Parte II. sectione 3. §. 12 statutorum Synodi Dioecesanae Transilvaniensis celebratae anno 1822. sub Titulo: De uniformitate cultus Divini in Parochiis Armeni ritus stabilienda, estque tenoris sequentis:

Quatuor censentur in hac Alma Dioecesi Orientalis Armeni ritus catholicae Parochiae, attamen notabilis inter eas in hodiernum quoad celebrationem cultus Divini discrepancia obtinet. Idecirco Joanni Kabdebo Cathedralis Ecclesiae Albensis Transil-

vaniae Canonico, Archidiacono et Parocho Elisabethopolitano injungitur, ut Sacros Divini cultus libros qui Viennae et Venetiis in Domiciliis Regularium Antonianorum Armeni ritus vigent, cum interpretatione latina Episcopo exhibeat, atque de addendis, quae memoratis libris non derogant, in hac Dioecesi autem cum emolumento spirituali Populi fidelis per Praesules statuta ubique observantur, collatis cum Clero Armenopolitano consiliis intra semestre votum depromat, ut auctoritate Episcopali uniformitas stabiliri valeat.

Laudavit hunc L. B. Szepesy pium conatum Christi in Terris Vicarius Leo Papa XII. quemadmodum discimus ex ejusdem Praesulis ad Clerum Armenopolitanum die 22 Martii anno 1826 datis hisce ordinibus. Quia suae Sanetitati Leoni XII. summo Pontifici conatus uniformem ordinem cultus Divini in Parochiis ritus Armeni meae sollicitudini creditis stabiendi gratus et probatus fuit, singulis ritus Armeni Sacerdotibus in Transilvania degentibus injungo, ut cultum Divinum ordini, quem Directorium meo consensu Venetiis ante biennium editum complectitur consentaneum celebret, acceptorum operis exemplorum constanter usum capiant, et si nefors aliqua addenda viderentur mutuis consiliis initis vota communia mihi manifestentur.

Sanctus fuit omnino praelaudatorum Praesulum conatus, atque omni laude dignissimus, nihilque ardentius erat exoptandum quam ut par conatui respondeat effectus. Verum negotium, ut dixi, solo Directorio quantumvis generali non absolvitur. Praeterquam enim quod Directorium omnium temporum, quemadmodum Latinum ita nec Armenicum conserbi queat; Directorium partem tantum ritus, ad summum ordinem officii Divini complectitur, reliquas sacrae Liturgiae partes, Sacramentorum administrandi et missae sacrificii celebrandi rationem prorsus intactam relinquit. Quamvis in his quoque major desideranda esset in Ecclesiis Armenorum uniformitas. De Ritualium exempli gratia in his Ecclesiis diversitate, ipse jam Stephanus Stephanovies Apostolicus harum Ecclesiarum anno 1729 visitator, in sua ad Episcopum Transilvaniae Georgium Zorger die 6. novembris 1735 scripta Epistola queritur in verbis: „Festa Sanctorum Apostolorum celebramus juxta vetus Kalendarium seu Directorium a nobis correctum, quo etiam Armenopolitani et Georgienses utuntur, sicut pariter et Rituali bene correcto, exceptis ut audivi Elisa-

bethopolitanis qui nescio qua ex ratione nolunt se communitatii conformare, cum Rituale vetus seateat erroribus quam plurimis a Schismaticis sensim intrusis. Eandem in usu Ritualium difformitatem ut tolleret, enixis praclaudentum Episcopum oravit precibus Clerus Armenopolitanus anno 1735 in verbis: „Petit etiam Clerus (Armenopolitanus) ut Communitas Armenica Elisabethopoltana ad normam hujatem et aliorum observet Ritum, et Rituale a Reverendissimo quondam Domino Stephano Stephanovics visitatore Apostolico nobis praescriptum; ut sic idem ubique Rituale habendo, nulla inter nos sit discrepantia in observatione Ritus.“

Sed dato non concessso: Directorium generale ejusmodi confici posse, quod ritum plene, quoad omnes ejus partes exhaustat et omnibus postulatis satisfaciat, num ideo ritus uniformitati sufficienter consultum esse credemus? minime.

Christi in terris Ecclesia viva voce est fundata, et vivae vocis innititur institutioni, qua non modo conservatur sed et amplius in dies per orbem propagatur. Hanc adhibuit Ecclesia Chatholica semper et adhibet hodie in erudiendis in veritate Catholica populis orientalibus, ab ipsa quacunque demum ex causa et ratione deviis, dum morum et Sermonis eorum peritos ablegat ad illos missionarios, districtim illis injungens: ut contenti aberrantes ad sinum sanctae matris Ecclesiae reduxisse, propriis eos, de cetero, sedi Romanae unitis subesse Pastoribus et secundum patrios ritus et instituta vivere patientur. Haec origo et hic finis celeberrimi illius toto orbe Christiano Collegii Romani de Propaganda Fide nuncupati, quod tot iam dedit Ecclesiae viros Apostolicos, Doctores et Martyres, in quod assumti diversissimis ex orbis partibus et gentibus Juvenes cum aliis necessariis quibusvis, sublimis ad quem vocati sunt status imbuuntur Disciplinis et Linguis, tum in nativo praeprimis gentis cuius membrum sunt, et eius olim futuri sunt animarum Curatores erudiuntur idiomate et ritu. Vivae vocis institutioni, fine conservandi in Imperio Russico ritus Armenici prospecturus Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX. cum nosset numerosos inventi in dicto Imperio Armenos Catholicos, qui proprii ritus Episcopo destituerentur, de his in Concordato, quod cum Russorum Imperatore, circa Catholicae Ecclesiae negotia in hoc imperio ordinanda anno 1848 iniit, specialem fecit mentionem, volens, ut Armeni in locis ubi proprio parent Episcopo, jurisdictioni subes-

sent Episcoporum Latinorum, quorum esset, certum numerum clericorum Armenorum in suo seminario intertenere, atque ibi per Armeni ritus Sacerdotem educari et in lingua et rito Armeno institui curare.

Porro Forma regiminis Ecclesiae Catholicae est Hierarchica, hujus autem natura postulat, ut ubi plures in aliqua Dioecesi Latina existunt, ritus cuiuspiam orientalis a Sede Apostolica approbati Ecclesiae, eae inter se per communem ejusdem ritus superiorem Ecclesiasticum connectantur. Qui cunctis praesit, vicaria Episcopi auctoritate negotia earum curet, cultus Divini uniformitati invigilet, atque de cunctis ad Episcopum referat, et quem ordinarius vicissim in his, quae ad ritus, cuius est praeest, internam oeconomiam pertinent, audiat. Certum enim est, quod vir Graecus aut Armenus, propriae gentis ritus, mores et instituta melius, quam extraneus novit. Hac ratione non modo exoptata adeo ad incrementum Ecclesiae Catholicae pax et concordia inter diversi ritus, sed fidei unitate junctos fideles conservatur; sed et suus cuique ritui in Ecclesia honor, sua dignitas sarta tecta servatur, ne altera alteri ancillare videatur. Mea itaque opinione, si de cultus Divini in certi ritus Ecclesiis uniformitate restabilienda serio agatur, domestici Praelati defectum, Directorium quantumvis bene elaboratum, constitutio quaevis aut liber scriptus tam parum supplebit, quam parum libri sic dicti Symbolici inter Aca-tholicos Germaniae supplere et unitatem conservare valent. Quod cum sapienter perspectum haberet gloriosae memoriae summus Pontifex Benedictus XIV. constitutione „Etsi Pastoralis“ pro Italo-Graecis decrevit, ut in Dioecesi ubi Latini et Graeci inhabitant et solum Archiepiscopum sive Episcopum Latinum ordinarium habent, circa negotia et causas dictorum Graecorum vicarium Graecum ipsis Graecis gratum vel per ipsos Graecos eligendum (ex quo Graecus vir melius Graecos mores novit quam Latinus) ipsorum stipendio et salario retinendum deputet.

CAPUT XXII.

Armenopoli erigitur et dotatur Hospitale pro Pauperibus et Infirmis. Fundantur: Orphanotrophium et stipendia pro studiosis et clericis.

Ultimus saeculi praecedentis annus 1799. institutum tulit Armenianopolitanis admodum salutare, dicto etenim anno pia liberalitas Emmanuelis Karácsnyi civis memoratae civitatis, magnificum sane pro pauperibus et infirmis Armenae nationis condidit Szamosujvarini dotavitque Hospitale. Cujus curam pius Fundator FF. Congregationis S. Joannis de Deo a Misericordia nuncupatis concedere intendebat. Quibus, hanc provinciam per Episcopum Ignatium Comitem a Batthyán sub favorabilibus licet conditionibus sibi oblatam, acceptare incertum qua de causa abnuentibus, par viro, interea defuneto, pietate conjux Maria Verzár, in parte aedificii Fratribus destinata, orphanotrophium erigere statuit, atque in sanctum hunc finem anno 1815 paulo ante sui ex hac vita excessum ultimis voluntatis suae tabulis 38 Rfloreorum millia legavit, quae summa fundationi pie defuncti ejusdem mariti commassata, tota cessit fundo Hospitalis pauperum et infirmorum quod ad solamen aegrotorum et levamen multiplicis miseriae humanae stat hodiedum. Orphanotrophium e contra nedum natum, extinctum est. Nostra certe memoria simile institutum penes memoratum Hospitale exstitit nunquam. Sed existunt aliae ab iisdem pariter Armenae nationis Benefactoribus in convictu nobilium Claudiopolitano pro sex studiosis, et in seminario Cleri junioris Albae-Carolinensis pro duobus ritus Armeni Clericis factae, sed per temporum iniquitatem ad dimidium ferme reductae fundationes. Quarum quidem fundacionum jus Patronatus quamdiu vixerunt ipsi exercuerunt Fundatores. His vero ex hac vita decadentibus tenore testamentariae dispositionis praelaudatae viduae Emmanuelis Karácsanyi jus isthoc transiit in Clerum Armenianopolitanum.

Juvat hie in memoriam tantorum Fundatorum, instrumenta institutionis ipsarum Fundacionum adduxisse. Itaque exempla eorum quae conquirere potuimus, ex originali Armeno latine per nos redditia depromimus.

Instrumentum erectionis Hospitalis.

Infrascriptus et dilecta conjux mea Maria, considerantes, quod nullas nobis Deus dederit proles, quae nostram memoriam conservarent, statuimus per misericordiam Dei, pro hujus nostrae Armenae gentis pauperibus et infirmis, in hac nostra inelyta civitate erigere Hospitale, et certam pecuniae summam conferre, e cuius censu in dicto Hospitali pauperes et infirmi interteneantur, ea propter

1. In rationem aedificii Hospitalis e propria nostra acquisitione conferimus 10.000 hoc est Decem mille Rflorenos, quam summam intra quinquennium, annue per bis mille, vel prout ad juncta aedificii postulaverint solvemus.

2. Hospitali exaedificato et necessariis instructo alios 10.000 id est Decem mille Rflorenos dabimus instar perpetuae fundationis, pro alendis in eodem pauperibus et infirmis tot numero, quot e dictae summae capitalis annuo censu interteneri poterunt.

3. Mercedem facti a Domino exspectamus et petimus, heic unicam duntaxat adjicimus conditionem scilicet: ut Jus patronatus in pauperes, qui beneficio nostrae fundationis usi fuerint, quamdiu luce hac frui licuerit, penes nos sit, post nostrum obitum vero, penes illum quem tenore Testamenti nostri designaverimus, quod si autem nemo per nos denominaretur, sit penes illum e familia Karácsyniana, quem venerabilis clerus et Magistratus ad hoc opus dignorem judicaverint.

Ut autem haec nostra firma atque invariabilis intentio quo ocyus complementum sortiatur et Hospitale cuius magna est necessitas primo quoque tempore erigatur Rss. D. Clementem Plebanum Armenopolitanum enixe rogamus, ut negotium isthoe suo loco promovere non dedignetur. Nos certe promisso nostro quod sponte fecimus non deerimus. In cuius fidem has manu nostra subscriptas dedimus Litteras. Szamosujvarini die 18 Decembris anno 1799.

Emmanuel Karácsnyi
filius Lueae et Consors.

Punctum 6. et 7. Testamenti Mariae, viduae Emmanuelis Karácsnyi.

6. Fundationem, quam pie defunctus maritus meus posuit, ut ad ejus censum in convictu Claudiopolitano hujates Armenae

nationis Juvenes studentes suscipiantur et interteneantur ego quoque septem mille Rflorenis augeo, et volo ut dieti septem mille floreni, post meum ex hac vita decessum, illorum curae concredantur, qui administrant summam fundationalem a defuncto Marito legatam. Jus vero patronatus utriusque fundationis, etiam Clericorum habeat hujas ven. Clerus ea tamen lege, ut ven. Cle-
rus rationem habeat semper Juvenum familiae Verzarianae et Karácsonianae, et quamdiu ex dictis familiis sufficientes idonei pueri reperti fuerint, illos commendet in convictum suscipiendo, quod si vero tales in memoratis familiis non essent, alii probi tamen et pauperes juvenes absque discrimine familiae praesententur.

7. Posteaquam PP. Misericordiani quibus pie defunctus Nosocomium coneredere intendebat venire noluerunt optimum factu judicavi, in locum illorum orphanos in hoc Hospitale assumere et educari eurare; quapropter summae fundationali duodecim mille florenorum adjicio adhuc Triginta octo millia, ut summa Dotationalis dieti Hospitalis officiat universim Quinquaginta Rflorenorum millia, et volo ut pars quidem aedificii sit Hospitale pauperum et infirmorum, qui vietum aliaque necessaria ex facta pro illis fundatione habebunt. Pars vero altera cedat usibus Orphanotrophii, in quod hujatum pauperum proles assumantur, quibus victus, amictus, lectum, charta, atramentum et alia scholae requisita gratis praebebuntur, atque moderator conduceatur, qui curam munditiae Puerorum habeat, illos doceat, ad Scholam et Templum dueat, verbo, juxta regulas illi praescribendas, Pueros honeste et in timore Domini educet. Curatorem vellem virum proiectae aetatis, viduum, inprolem, ante omnia vero probum ac pium. Quod si talis inveniretur, qui una etiam necessaria in rationem Hospitalis procuraret, et de erogatis Inspectoris Sacerdoti menstrue, vel quolibet altero mense rationem redderet, penes illum assumatur coqua et ancilla. Panis et Cibus in eodem loco parentur, at Pueris in distineto a pauperibus ac infirmis refectorio praebantur. Institutum Orphanorum initium sumet immediate post meam mortem, ac tot in illud orphani suscipientur, quot e censu Capitalis 38 millionum florenorum interteneri poterunt, eo intellectis prae specificatis quoque sumtibus (in Curatorem, coquam etc.).

Jus Patronatus hujus quoque instituti relinquó ven. Clero Armenopolitano.

Fundationis pro ritus Armeni clericis per pium Fundatorem
vita comitae factae Instrumentum constituant Litterae Fundatoris
die 10. Augusti anno 1805 ad ejus temporis Transsilvaniae Epi-
scopum Josephum Mártonfi datae, quarum tenor hic est:

Excellentissime! etc. Zelo boni spiritualis permotus cum
consortis meae Mariae consensu, e propriis nostris acquisitis in
aere parato resolvo Octo millia Rfforenorum, ex quorum annuo
censu a 1^{ma} novembris a. c. computando interteneantur duo ritus
Armeni aut in defectu Armenorun, ritus latini clericis in Seninario
Incarnatae Sapientiae Albaecarolinensi, expetendo ac reser-
vando mihi meaeque consorti usque ulteriores Dispositiones, jus
cosdem Excellentiae vestrae praesentandi, prout nunc praesento
R. D. Josephum Daniel germanae meae sororis Mariae filium et
Martinum Korbuly ex alia mea sorore Anna nepotem. Proinde
humillime supplico Excellentiae vestrae ut hanc piam nostram
fundationem gratiore acceptare ac praefatam sunimam in seculo
loco in censem elocari facere non gravetur. Quam gratiam avide
praestolans in jugi profundissimae venerationis cultu persevero.

Claudiopoli 10 Augusti 1805.

humillimus servus.

Senior Emmanuel Karácsónyi.

Praeter recensita nobilis familiae Karácsónyi pia instituta,
sunt conplura alia per Transsilvaniam eum instituta tum Funda-
tiones usui publico atque Armenae gentis individuis destinatae.
quae suam diversis hujus nationis viris debent originem, totidem
quasi Armenae devotionis monumenta, non est quod eorum sin-
gula prolixa oratione prosequamur, praesertim cum et concen-
tentibus litterariis instrumentis destituamur, sufficiat memoriae
causa enumerasse sequentia: 1. Nosocomium publicum Szabelia-
num Claudiopoli a familia Szabel erectum. 2. Gymnasium et
schola puellarum Elisabethopoli ab Alexandro Raphael fundatum.
3. Stipendia pro victu et vestitu pauperum studiosorum a Joanne
Jakabfi et Clemente Korbuly Parochis Armenopolitanis legata.
4. Fundatio in orphanotrophio Theresiano Cibiniensi ab Alexan-
dro Evöss Canonico relieta. 5. Fundatio pro ritus Armeni clerico
in seminario Albensi Transsilvaniae a Joanne Keresztes Parocho
Tekeröpatakensi facta, cuius institutionem immortalis memoriae

Episcopus Baro Ignatius Szepesy Clero et Populo Armeno sequentibus notam reddit Litteris: Pro solatio venerabilis cleri et fidelis Populi Armenici ritus nota redditur pia munificentia Joannis Keresztes Parochi Tekeröpatakensis, qui pro educatione unius in Seminario Albensi ritus Armeni alumni nuper florenos bis mille monetae conventionalis, fisco cleri junioris velut stabilem fundationem intulit. Hinc in posterum semper duo hujus ritus alumni Albae Carolinae studere poterunt, tantummodo idonei non desint. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum spiritu vestro Fratres Amen, ad Gal. VI. v. 18. Claudiopoli 22. Nov. 1826.

Ignatius Episcopus,
Alexius Jánosi,
 Ceremoniarius.

